6
19-b
50

M

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
7 C
35

20 20-9-18
f/
[redacted] -19. b. 50

Digitized by Google

20
f
88

LECHUS

CARMEN HEROICUM.

2

20.2.32.


Conditor
Bellator
LACHUS. I.
à quo
POLACHY et LECHI



APPROBATIO

JLLUSTRISSIMI

EXCELLENTISSIMI

Ac

REVERENDISSIMI

LOCI *ORDINARII*

NI-

BIBL. ROMANA VITTORIO EMANUELE

NICOLAUS IGNATIUS

In Wyżyce

WYZYCKI

DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIÂ ARCHIEPISCOPUS METROPOLITANUS LEOPOLIENSIS.

LIber, cui titulus: *Lechus, Carmen Heroicum &c:* Authore celebri Vate R. P. Joanne Skorſki è Societate JESU, in Scholis Publicis Leopolienſibus nunc Theologiæ Profeſſore, cùm nihil contineat quod vel cum fidei ſinceritate, vel morum honeſtate pugnet; quinimo totum Carmen, Ingenii ſubtilitate, ſtyli amænitate, variorum Historicorum peritiâ, Sententiarum ac Eloquentiæ ſuavitate, ſit exornatum; ut typis mandetur, facultatem damus & concedimus. Datum Leopoli 24. Aprilis Annô Domini 1745.

NICOLAUS IGNATIUS
ARCHIEPISCOPUS

(L. S.)

um, cujus dulci & innocenti labori, non aliunde quàm à tuis favoribus uberiorem obvenire operæ præſidam. Et Lechia quidem, quòd tibi Bòëmiſq; cognata ſit Gens, Famam Nominis, de cujus etymo Slavicam appellationem Majores noſtri acceperunt, tantò latiùs ſua virtute tuoq; patrociniô promovebit, quantò pluribûs hoſtiliter malîs lacerata, ſuo te Nomini & Famæ præſentiſſimum Patronum pollicetur. Stabis pro ea Vindex; & adversîs omnibûs domi foriſq; eliſîs, conſtanter efficies, ne in Poſteris à Lacho Polachis, Famæ ſit nomen inane, quam illi in Progenitoribus Slavis abunde profitentur. Quia verò non Lechiæ tantùm, verùm & omnibus bonis, Lechiam illuſtrantibus, prodeſſe quæris; cunctiſq, ad inſtar Solis gratioſus exoreris: idcirco Virtutes & Scientiæ, quæ huic regno exornãdo natæ ſunt, ut in maturi nominis ſplendore compareant, tua niti ope in votis habent. Quæ autem illarum magìs, quàm Pöëſis? ſcilicet, ùt ſeveriorum Scientiarum, ſic Muſarum ſtudiis, ſui oſores non deſunt; quos magnus ille Theologus, Joannes de Ulloa *in Præfatione ad Logicam Defenſor Scientiarum, gemina face ignorantiæ & invidiæ ad inurendam cultiori literaturæ notam armari, pronuntiavit.* Raró audies (*inquit ille*) Carmina laudantem eum, qui nec à limine ſalutavit Apollinem: vel ſi aliquando conatus eſt ſcandere per Parnaſſum, gravedine cerebri retrorſum præcipitatus

tatus

Quàmvis autem debito ſplendore careat hic labor meus, quia tamen Dei Maximi Gloriam ultimò ſpectat, idcirco idoneum duxi, quem tibi, Diviniſſime JOANNES NEPOMUCENE, tuorum Clientum à malevolis Vindex, & ſingularis Patrone, ex animo dedicarem: prout in præſenti dedico, & tuis pedibus ſubjicio.

Tuus

Perennis Cliens & Cultor

Joannes Skorſki Soc: JESU

AR-

ARGUMENTUM
Libri 1mi.

In quo & aliis ſequentibus argumentis, Numerus Eccleſiaſticus, puncta Operis diſtinguens, ſignificat in corpore libri, argumento reſpondentis, Numerum Marginalem Eccleſiaſticum.

I. *PRopoſitio Operis cum præfatione & acceſſu ad hiſtoriam Lechi.* II. *Incipit hiſtoria. Motus in Slavonia civiles obiter perſtringuntur, diſſidia, bella, & raptus: prout recenſentur inter cauſas profectionis Lechi è Slavonia.* (De his Cromer lib: 1. c. 14. Sarnicki Annal: Pol: l: 4. Neugebaver l. 1.)

III. *Hos inter motus & raptus, Libria Lecho rapitur à quodam Roſſo, ſimulante fugam in Iſthmum, unde ſe oriundum finxerat.* (De hujus Roſſi genere & nomine Crom: l. 1. c. 14. Guag: fol: 7. & 150.) IV. *Lechus, injuriam ulturus, componit Slavorum civiles iras: eos hortatur ad vertenda potiùs in hoſtem Raptorem arma, ad invadenda regna Iſthmica &c: commemorat vetera damna, Colchis ſuis Indigenis olim à Grajis per Jaſonem illata: Hunc Raptorem Velleris aurei, comparat Roſſo, Raptori ſuæ Libriæ.* (De Slavûm origine à Colchis, Sarn: lib: 1.) V. *Lechi oratione permoti Slavi, ſtatuunt claſſe perſequi Roſſum. Interim amicus Roſſi, quidam Alcon, obſtat euntibus; diſſuadet navale iter, & probra in Lechum jactat.* VI. *Czechus, Frater Lechi, occidit Alconem.* (De cæde à Czecho patrata, Crom: lib. 1. c. 14. inter cauſas profectionis Lechi è Slavonia. Neug: l. 1.) VII. *Cæſo Alcone, Slavi cum Lecho, Czecho, & Viſimiro, Lechi filio, conſcendunt claſſem; & versùs Iſthmum navigant.* (De navali Slavorũ expeditione, Sarn: l. 4. f. 172. & 204. Crom: l. 2. Neug: l. 2. Ines in Lech.)

VIII.

imaginibus in Palladis clypeo exhibitis. ***Audit** item plauſum ſuperûm, & auxilia Slavis præſtita &c.* XVII *Somniante Lecho & Slavîs, tempeſtas oritur: & Viſimirum cum potiori parte ratium dividit à Lecho Czechoq́;.*

LECHUS

CARMEN HEROICUM

LIBER I.

CUNAS Lechææ Gentis qui pri- I.
mus ab usq;
Colchide protulerit, libertatemq;
parente
Fecerit auratam de ſanguine
Velleris Aurêi;
Pandere decrevi. Quantum ſibi cana Vetuſtas
Blanditur, noſciq; cupit; ſe jactet, & umbrîs
Efferat! orbi avido magìs admiranda magìsq;
Ut veniat, nulla eſt, Lechicæ nisì ſtirpis Origo!
Pauperis actutùm potes explorare fluenti
Principia, ac humilem ſinè laude & nomine fontem;
Hasq;, quibus paſſim minor imperat impetus, undas:
At Nili caput, & noſcendos divite fama

Nôſſe Tagos, labor eſt. Radices aurea proles
Difficilì naturæ uterô, fibrîsq; profundìs
Abdiderat. Quærunt adamasq; aurumq; latebras
Infra Indos Arabumq; orbem: quaſi ſemper in umbris
Luce ſua plus ſit, quàm luce niteſcere ſolis.
Rerum animas latuiſſe graves ſatìs usq; ſuperq; eſt!
Ite modò: infantes quà cunas fixerit olim
Aurea Libertas, cuſtoditiq; dracone
Velleris Indigenam, patriumq; in Principe Vellus
Gneſnæi Mater lactaverit arbore nidi.
Grande opus aggredior; calamumq; labore trementē
Regnatrix Aquilæ Lecho de Patre Juventus
Arguit invalidi certaminis! omnia quàmvis
Attentaret Apollo meus; minor ilicèt oris,
Materie inferius, ſibi pænè timentibûs auſìs,
Moliretur Opus. Nec enim minus arbitror eſſe,
Prima Polonorum comprêndere verſibûs Orſa,
Et Libertatem numerîs adſtringere; Patri
Quàm Lecho fundare fuit. Tamen ibimus ultra
Oceanumq; marisq; cubilia; quando licebit
Lechica ab antiquis evolvere ſemina Colchis.
Cœpta meî rege Muſa auſûs: tibi Caſtalis unda
Itq; reditq; vias, & eodem vortice raptim
Eſt fontis memor ipſa ſui, nidumq; reviſit.
Grande olim Romæ; quando trans æquora raptas
Conſulerent alerentq; pyras Veſtalibûs arîs
Laurentes Populi: priſcos ut Troicus ignis
Pro ſpeculo loqueretur Avos, interpres & eſſet
Magnanimi Æneæ, Priami, Trojæq; parentis.
Sic erit: imperitantis avis ſi fulmen & ignis
Inter & arma Aquilæ Vellus regale repôſtum,
Progenitamq; recens, prolemq; à prole futuram

De Patre Gneſnæo de Colchide Matre monebit.
Noverit ut tandem mundus: Non ſanguine vili
Nec de Sauromatis cepiſſe genethlia Lachos.
Æquales ſibi jura dabant, nulloq; minore II.
Slavones coluêre æquum. Cùm turbo cruentus
Gentem corripuit! raperetq; in funera terras,
Ni citus in rabiem, dum præcoce perfurit æſtu
Dum ruit in cædes, fugeret poſt terga ſepulchrum.
Alter in alterius volat arva; ſed aggere capto
Ingemit: hêu! terrâ, quam nunc rapuiſſet, humandus!
Nullus Avaritiem frenat modus; arctaq; terra eſt
A deſiderio miſeris: Sibi pauper haberi
Quisq; amat; ut dederis bona plurima, plura repoſcit;
Nec ſatur aggeſtìs condiſcit dicere: *Dives*
Dives ego! pulſa jam ſtate cupidine vota!
Tot ſcelerum ne pars vel parva vel una deeſſet,
Acceſsêre hominum tandem poſt omnia Raptus.
Nata fuit Lecho, cognomine Libria, quævè III
Non probitate minùs, tenerîs quàm creverat annîs;
Usq; adeò, ut talem, teneri Genitoris amore
Mitis adulator, cognomine Velleris Aurêi
Cenſeret Lechus, per blanditiasq; paternas
Auratum in Libria jactaret Vellus haberi.
Nempe merebatur, quam nulla dote carentem
Cenſeret ſic quisq; hominum; certaverat illi
Et decor & virtus & gratia mixta pudori.
Hanc quidam Roſſus, fidæ penetralibûs aulæ
Exceptus, Lecho nequicquam perfidus aufert:
Utq; olim ſe ſe profugum ſimulaverat Iſthmô,
Sic fugit ut patrium fugiſſe putetur in Iſthmum.
Quanti Helene per bella vias nunc iſta laboris

Cauſa erit! hâud quisquã, ſit quàmlibet ore diſertus,
Dicere ſufficiat: vix plura decennia dicent.

IV. Fraus ubi deprênſa eſt, Lechus tunc fervidus irâ
Ulturusq; nefas, cita mox à Civibus orat
Auxilia; utq; ſimul civilia prælia & iras
In melius vertant, poſcitq; AC TALIA FATUR:

Quò ruitis perq; arma mei perq; impia Cives
Funera? Thebanæ ſtragis Fratrumq; priorum
Exemplumné placet? placet o! nec criminis hujus
Vos pudet, ùt video; pudor eſt non eſſe nocentes!
Dedecus o quantum eſt, priſcos, atq; ubere eodem
Nutritos, armari odiîs violenter Amores!
Vos Fratres hoſtesnè vocem, quos degener auſus
Retro agit, & vultus alios ſuper improbus exſtat?
Quò minùs ex hoſte eſt, tantò eſt hoſtilis habenda
Illa magìs, quæ ſic fraternos enſe furores
Criminis in pompam ſoror ira armaverat; unde
Iret inexhauſtus cognato à ſanguine ſanguis!
Si tantus necis urit amor? convertite ferrum
Hoſtis in excidium, qui velificantia furta
Secum agit in præceps, Slavîs malè transfuga terrîs.
Fortè aliquis veſtrûm mediâ mirabitur irâ,
Quòd Lechus, cûi pacis amor, civilis & auſi
Nulla ſequi labem rabies, vos horter ad arma?
Arma citi, ferte arma, volo: ſed ſancta; quibûsvè
Victima quàmprimùm cadat infeſtiſſimus hoſtis.
In Roſſum gladios diſtringite, qui modò Lecho
Perfidus, abſtulerat, ſpẽ noſtram & pignora, Gnatam;
Indq; Iſthmum veterem forſan latro (venerat unde)
Velificatur adhuc, ſpoliîsq; ſuperbit iniquîs.
Vindictæ in pretium, mihi credite, regna feretis
Aurea; juris erit juris terra Iſthmica veſtri.

Damna

Damna mea ut ſileam, veterum meminiſſe licebit:
Raptor ùt exuvias pretioſi Velleris olim
Suſtulerit Jaſon de Colchide; navibûs unde
Egreſſi fruſtra dum Patres Jaſona noſtri
Prêndere conantur; poſt tædia longa viarum
Has quaſi pro lucri ceperunt munere terras.
Iſthmum igitur, noſtris qui Jaſona protulit hoſtem
Patribus, & rapti ſibi plaudit Velleris aurô,
Funditùs evertiſſe gravabimur? ut ſibi tutò
Collaudent vetera, & nova Graji furta reportent,
Ac tumidi jactent, Colchos non eſſe timendos?
O mihi ſi liceat tumulis educere Manes!
Singultantem animam Patris non unius unus
Effari audiret: *Noſtri rapite arma Nepotes,*
Bellaq; fulmineasq; manus, ignemq; necemq;
Jn graſſatores primo Duce Jaſone Nautas!
Sunt o! ſunt magno venientes nomine cauſæ,
Grajugenas Slavi cur veſtra interroget ira!
Sed quid ego antiqui vos damnô Velleris hortor?
Rapta mihi Gnata eſt, quam nomine Velleris Aurêi
Cenſebam Lechus; per blanditiasq; Paternas
Auratum in Libria jactabam Vellus haberi!
Furti author Roſſus, qui crimine Jaſona longè
Vicerat: o Cives hunc Jaſona quærite mecum!
Quid moror, & furem volucres non imus in hoſtem?
Ecce invitat adhuc claſſis, qua Jaſona noſtri
Quæſivêre Patres; patriiq; laboris honorem
Mox reparanda ratis ſpondet! dum furta coacti
Aurea reſtituent Raptores, aurea vobis
Regna recludentur; nec bella domeſtica tandem
Vos urent, rapiendo aliis, vel rapta negando.
Ite pares mecum, celeri agmine ſcandite roſtra.

Dixerat,

Aſpectans Czechus, ſtricto transverberat enſe,
Atq; AIT: Ante mei videas quàm funera Lechi,
Ipſe bibas proprium latro periture cruorem;
Et Furiis, plenus quibûs es, narrare memento:
Non gaudere diu meditato crimine fraudes.
Cæſo Alcone, velut ſubmotus protinus eſſet VII.
Omnis obex, redeunt animi Lechumq; ſequuntur;
Quàvè inſtructa fuit ſubjecto in littore claſſis,
Slavorum longus propere convenerat ordo.
Quos ubi conceptîs in aquas igneſcere votîs
Dux videt, hærentis ſecat arida lina carinæ:
Fulmen utì volat illa, flabrîsq; ſuperba receptîs
Alitis inſtar abit, levior quò grandior Eurô:
Cerni difficilis jam pigræ plus favet auri,
Et ſua ſe velox per ſibila retro relinquens
Antevolat Zephyros; puppemq; via ipſa ſecuta eſt.
Ecce autem longè volitantia carbaſa contra VIII.
Cymba minor rapitur: tres & non ampliùs illo
Lintre vehebantur; quos mole laboris anhelos
Ut vidit, jubet ipſe Lechus ſuccedere proris:
Quidvè (Inquit) tenui properatis in æquora lintre
Audaces animæ? num vos piratica labes
Exercet? num præſentis de turbine pugnæ
(Nam Martem ſpiratis adhuc) vos abſtulit æſtus?
Tunc prior ante alios? Procul iſta, nec adſumus hoſtes,
Diridanus AIT: miſeros Fortuna marinæ
Expoſuit ſtragi; ſimul hæc calcare perîcla
Ut timor auderet, Patriæ juſsêre timores;
Et placet unâ aliam mortem prævertere morte!
Quem cernis, fueram Vates Phœbiq; Sacerdos,
More vetuſtatis ſacrîs altaribûs hauſtos

Narra-

Narrabam ſenſus, oracula certa futuri.
Accidit! averſam Patriis dum rebus & aris
Fortunam fugere, & clades adſtare propinquas
Præſcius enarrarem! ter ſacra mugiit ara,
Et ter Fatidicus dedit hæc oracula Phœbus:
Iſthmo meta venit; venit & de Colchide Ductor
Nobilior Fabiô, cûi alter Scipio Gnatus,
Stragibus á populi magnam qui nomen in urbem
Transferet, immodicus famæ, Regniq; ruina.
Hæc ego. Sed Cives quod nolunt noſcere, nolunt
Credere: præcipuè nulla tractabilis arte,
Qui regnatrices Roſſus nunc tractat habenas,
Conſpectu procul ire jubet! quæro indè latebras
Juſſus: adulantûm sed turba reciproca; Vatem
Circumagunt; vocemq; Dei, mea Vatis iniqua
Vota putant! Vatem mala peſſima velle precari
Civibus & Patriæ, ſimulant! mortemq; parâſſent,
Nî celer effugiô daret hæc mihi cymba ſalutem.
In gremium Patriæ nec ſpero nec opto receptum:
Quæ ſic luxuriat fidæ per funera prolis,
Funeribûs pereat, quoniam vocat ipſa ruinam.
At tu ſumme Ducum, cûi Dîi ſtatuêre, ſceleſtum
Ad pænas Roſſum ſimul Iſthmica tradere regna,
Utere ſorte tua! Fabius tu ſcilicet ille,
Alter & ille tuus ſtat Scipio Filius; ille
Virtutum Lechi ſpeculum Viſimirus & hæres,
Orbis & Everſor: quali nunc ſupplico, talem
Decrevêre Dii Domitorem gentibus illis.
Vadite! quà vobis fortuna noviſſima ſternit
Æquora: ducam etenim, pretiumq; docebo viarum,
Si Leche me ſequeris, tibi quem præmiſit Apollo.
Hæc Diridanus nectendis fraudibus aptus,

Arti-

Artibûs & magicis cantata pericula doctus
Reddere, narrabat. Lechum non parvus in omnem
Se ſtupor impulerat, dum nomine ſeq; ſuamq;
Tam ſcitè ſobolem deſcribi novit abundè;
Voce peregrina dubius tunc pendet, &: O quis
Te Deus in noſtras (INQUIT) tulit advena claſſes?
Non etenim vanum, non te ſinè Numine Divûm
Appulſum puto, dum narras ignota, tibiq;
Arcano niſi ſcita Jove, atq; volentibûs aſtrîs.
Miror ego caſum; ſed plus tibi miror Apollo
Non intellectum ſcelus; &, tua Jupiter ingens
Lenta quòd in pœnam dormirent fulmina, quandò
In Vatem licuit tantis ſinè Vindice probris!
Sed bene: Dii paſſi? ſcelerato à ſanguine pœnam
Ibit ut expoſcát Lechus; ut promiſſa cadentis
Vindex regna ſoli, ſolio meliore remutem.
Major & ipſe tuæ lux Diridane redibis
Genti; ac exilii laudabis dedecus: & te
In medios veniſſe hoſtes gratabere quondam;
Si modò, quo jaceant, aperis mihi, regna ſub axe.
Quare age, Duxq; viæ cymba præcede minore.
Dixerat hic. Rapit ille ſcapham, nec ſegniter inſtat
Obſequio: ſed enim magicîs tota æquora metrîs
Incantat; Slavos ut tempeſtate vocata
Artibûs atq; aliîs perimat! Proh! inſtat eunti
Præceps claſſe Lechus, Czechusq; Slaviq; frequentes!
Ultimus impulsâ frangebat marmora claſſe
Difficiles Viſimirus aquas: nam pigra moveri,
Cêu illam ſiccum navale vel aura teneret,
Radebat maria alta ratis, crebroq; rebellis
Hæſerat: hêu quantum casûs præſaga futurî!
Æquoris Adriaci campos ſupereminet altus IX.
Molis

Molis inacceſſæ ſcopulus, geminamq; feneſtram
Infra aperit; tanquam cuperet reſcire, quid alter
Orbis habet, fundum longè proſpectat in imum.
Hîc non vulgaris reſidere Venefica poſſet.
Hîc oculîs livens, ſemperq; inviſa videndo
Invidia accubuit; prohibens mare currere, lucro
Ne cûi accedat, Dominæ ſed ſerviat uni.
Quò magìs illa videt, minùs eſt potis illa vel ipſo
Solem in ſole pati, lucemq; adſcrîbere luci,
Quam nisì per laceræ ſibi rupis vulnera monſtrat;
Aptat & officium vitri, quo præduce cernant
Centum oculi, ſed cuncti ægri, dolor alligat omnes.
Sævior Argô animus, numerìq; ignara tyrannis,
Quæ ſunt, quæ fuerant, videt invidet omnia; latrans:
Sidera non tua ſunt, cælum! non ſunt tua Nerêu
Æquora: non mundus mundi eſt! ſibi ſe invidet ipſa,
Et vellet non eſſe ſimul, dum eſt; mille chimæras
Mente agitat: rerum locupletem plus habet hoſte
Et ſtyge plus Dominum: Dominus ſed rurſus ut adſit,
Clamat: *Ubi eſt dives, cûi invideatur habenti?*
Tantum mente chaos Sagæ eſt, violentia tanta!
Hêu miſeri! peſtes inter, quos maxima peſtis
Invidia afflârit! non vitæ, non & honori,
Non virtuti ipſi, famæq; opibusvè quibusvis
Stare datur! cunctis infanda calumnia visq;
Imminet, & magnîs citò cladibûs omnia ſternit!
Nec ſatìs: Invidiæ totum dominantis in orbem
Tres Furiæ clausêre latus, Dominamq; fatentur:
Triſtitia, alterius mærens de ſorte; canino
Dente bonam rodens per atrocia vulnera famam:
Dumq; alios rodit, pectus quo naſcitur ipſa
Con-

Conſumit miſerum cêu vipera: mordet & angit
Invidioſam animam, tortor ſibi facta perennis.
Triſtitiæ lateri comes altera pænè cohæſit
Æmula Avarities, referens & nomen & ora
Semper Egeſtatis; non ipſa quòd indiga, ſed quòd
Non ſibi cenſetur dives, Vicinia donec
Pauper erit! quanti patet hîc erroris abyſſus,
Saga furens quærit nihilô diteſcere aliûs!
Aſſidet hûic, ſpirans cædes rabiemq; maligno
Ore, Rapina ferox, manibûs ſuccincta trecentîs.
Sed caput Invidia eſt: quæ poſtquã Lechica vela
Æquore conſpexit; morsu ſcidit improba carnem
Invidiæ morsu; ſciſſam ſpuit ore, caputq;
Irrequieta quatit, CLAMANS: Scelus o! ſcelus o! quis
Audet inoffenſa noſtrum mare frangere claſſe?
Ut cuncti pereant, cuperem illa dehiſceret illa
Nomine quæ matris gerulæ ſibi terra ſuperbit:
Nunc quando exulibus roſtris favet unda noverca;
Sponte feram? quænam lucri tam ſæva cupido
A portu rapuit claſſem? num Vellus ademptum
Quæritur, auratiq; vocant nova limina regni?
Invidi rapuiq; ſemel. Vela æquore pande
Quisquis es o Prædo! fac, pande audacter & inſta,
Non mihi eris Jaſon! per hiantûm guttur aquarum
Mox latro tua lucra petes, vindexq; rapinæ
Ipſe rapina meo fies non parva furori.
Vade age! præcipiti dum vela cupidine profers,
Funus ama inſtructum: sêu te (quod & auguror) illa
Exutæ defert injuria Colchidis; auri
Sive aliò cupidus, maris hoſtia, mittis amores,
Nunquam erit ut quando liceat tibi dicere: *Vellus*
Quæſiimus Vellus, deprêndimus aurea regna!

Plura

X. Plura parabat adhuc: ſed ne fugientia vela
Effugerent cladem, rabioſi abruperat oris
Latratum: è ſcopuli mox culmine labitur audax,
Æquoreiq; petit penetralia proxima regni
Sirenumq; domos. Liquidìs hìc Regia pinnîs,
Parjetibus fluvios, tectis interſerit undas:
Pro trabe fons pendet, pro poſtibus oſtia fontis;
Molle pavimentum fluidæ de marmore maſſæ
Acriùs hâud unquam greſſus ſuſtentat euntes;
Quin infra cedit plantis, quaſi fallere vellet
Fraude fugæ non ferre pedes; cùm bis facit unum
Se fugiente gradum, quoties gradus aggravat undam:
Quin tam ſuave ſubeſt, ut quàmvis ſæpius actus
Pes eat & redeat, ſe non intelligat ire.
Sirenum Domus hæc: quas decolor arte biformi,
Prodigium portentorum, natura creavit:
Erumpit mentis manifeſtus in ora character,
Frons hominem, pectusq; hominem, dextræq; loquuntur,
Cauda negat: medio concurrunt pectore monſtra,
Quò minùs ex toto, tantò magìs horrida viſu:
Non homo, ſunt hominis falſi mendacia vera.
Pejor at intrà animus, ſemperq; cupido nocendi,
Vocem imitatrices hominis dum carmine reddunt.
Ante tamen cantus, ſpeculum de virgine forma
Auditæ nondum tum conſuluêre puellæ:
Hêu ſpeculum! cujus Narcyſſus perditur orbe,
De facie vitreas oculô dum interrogat undas!
Hìc tamen hâud proprii paſcuntur imagine fati
Sirenes; navalem odiîs ſpeculantibûs urnam,
Fata aliena vident, placet ipſa in imagine funus.
Forſitan & Lechi jam tum reddebat imago
Claſſem

Claſſem impendentem! Siren decreverat omnis
Audaces proras liquidâ punire ruinâ.
Has tum Sirenes, laceris furibunda capillis
Invidia accedit; veniendiq; improba cauſam
Sat graviter quàmvis ululatu nuntiet ipſo,
Hac tamen horrendas ADIECIT VOCE QUERELAS:
Fama trucis, Sirenes, aquæ, quid ſtertitis, eheu!
Quid tempus, quid opus torpore ignobilis oti
Perditis? illecebras ſitiunt cur æquora veſtras?
Contemni reputant Nymphæ; mutumq; quod ante
Sirenum ſinè voce fretum dormire nequibat,
Nunc ſinè voce ſilet; Dominas minùs æſtimat ipſas!
Æquora ſomnus habet: ſed pervigil aura triremes
Neptuno parcente agit! en volitantia longè
Vela virûm ſuper unda vehit! formidine nulla
Ante truces calcantur aquæ! diſcrimen & illud,
Quod fugeret rurſus ſibi nave laceſſere Ulyſſes,
Lechus inoffenſo pede præterit! unde protervæ
Mens ea cervici, veſtris ut cantibus unus
Inſultet prædo? lentamq; ad funera danda
Imbellemq; metri novus advena rideat iram?
At canitis; nec vos ars unquam veſtra fefellit!
Ite! truci cantu confundite vela fretumq;,
Naufragiôq; ſimul Lechi prævertite vota.
Non etenim vana eſt, quæ me formido timentem
Solicitat; ne plus hic audeat hoſtis Ulyſſe,
Ne quid in antiquum fabricetur Velleris aurum,
Aût quid inexperti faciant de Colchide curæ,
Tempus ad hoc ſteriles: & quod mihi Jaſonis arte
Invida ſurripui, Colchus malè victor, utriq;
Auferat! Opto quidem terras ſobolefcere noxis,
Alter ut, alterius quæ ſunt, ſua vendicet eſſe,

Arbitriis ferri litem dirimentibûs: omnes
Cùm tamen illa velint, vellem nullius ut eſſent!
Nunc quoniam raptam quærit Lechus æquore prædã,
Vos precor, Indigenæ maris, intercludite curas
Metra per & cantus! malè pervigil & vagus ille
Pace ſoporifera doleat jam poſſe teneri
Seq; ſuasq; rates. Miſeris tamen addite ſortem:
Vellus ut optatum, tumidas ſpes, aurea regna
Se reperiſſe putent; & mentem paſcat inanis
Uſus avaritiæ: ſed ſint mera ſomnia, Vellus.
Sic ubi mendacis ſortis dulcedine ſomnus
Ebrius extiterit; tunc omnes agmine facto
Irruite adverſas naves, date carbaſa morti;
Cum Duce vota ruant; Slavi doceantur ut omnes,
Sirenum victor quòd in æquore ſolus Ulyſſes
XI. , Finiit. Invidiæ tum ſic ad dicta REPONIT
Gnara futurorum Vates, & Apolline dives
PARTHENOPE SIREN: Licèt omni cardine verſo
Incumbas ſuper, & partes lucteris in omnes,
Limes erit nullus, qui ſit modò limes ituris
Navibus: & Lechus ſibi Vellera rapta, ſupraq;
Inveniet terras ac aurea regna Poliæ.
Jlle renaſcentes Arctoi Sideris oras
In melius gemmare dabit, ſuperaddet & auro
Aurum inconcuſſum de libertate futura.
Tangeris ipſa tamen ſi crudæ prolis amore,
Progeniemq; voves ſcelerum, Invidiamq; ſub illo
Sole renaſcentem; properent, permitte, latrones;
Auratumq; petant Regnum terrâvè marîvè.
Campus ibi quantô noxarum ſurget acervô!
Regnabis nunquam Dea fortunatiùs, illo
Turbine quàm rerum: quando extera ſceptra Duceſq;
Invi-

Invidiæ ſtimulis immanes, virus & iram
Infundent regno Lechiæ, nigroq; tumultu
Impediet ſeſe partitio ferrea: tunc &
Lechia jam nollet ſic fortunata vocari!
Ne tamen æternus moriatur fomes alendis
Ignibus, illa iterum crebra de ſtrage lacertos
Ut moveat, dabitur. Rurſus caput eriget hoſtis
Et capulum reſpectabit; quòd triſte cadaver
Lechia vivat adhuc: ubi vivam viderit, orbis
Juratus gentem mox conſpirabit in unam:
Certatim Moſchus, certatim Suecus ab Arcto,
Et navale potens armîsq; in Balthide Danus,
Hinc raptô pinguis fæx Taurica, Coſacus indè,
Indè ſuîs pejor gens Muſulmana moloſsîs;
O utinam non & propior Vicinia ferrum
In jugulos acuat! video pendente ruina
Umbrari Lechiam! dubitant in turribus altis
Culmina, ſurrectura iterum, ne ſiſtat avaræ
Ambitus invidiæ; ſibi vel victoria ſoli
Invida, plus juſtô ſpem ne præcidat habendi.
Si qua magiſterii tibi mens eſt, inſtruat: utrùm
Hauriri claſſem deceat, pœnamq; ſubire
Æquoris, auratos an dente capeſſere portus.
Quod juvet Invidiam, potiùs noſtrumq; tuumq;
Ne regnum pereat, ſine creſcere Lechica regna.
Hêu! quot ego merces, quot vectas Æquoris arvîs
Ima vorabo rates! Equidem non integra Slavis
Arridet mea mens; claſſemq; videre licebit
Huc illuc per cantatas errare procellas:
Ut mediîs Lechus Fortunæ pendulus ulnîs
Sit miſer, & ſortem nolit tot caſibûs emptam.

Dimidiumq; favoris erit, ſinè funere quando
Colchica Sirenes feret experientia raucas.
Dixerat. Invidiæ licèt omnia viſa probari,
Hora vel una tamen felix, infauſta tot inter
Tempora diſplicuit: doluitq; Venefica, quòd *Non*
Invidiam meruit nisì qui fuit ante beatus!
Ergo dato gemitu, morſus exorſa priores,
Exululat! quantum nequeunt jejuna luporum
Ora, canumq; globi, rabie ſtimulante gementes.

XII. Non tulit inviſos ululatus Parthenopea:
Sirenumq; acies conatæ evincere cantu,
Quà data porta, ruunt. Ubi Nereus arjete fluctu
Turritos quaſſat ſcopulos, huc ocyor Euro
Parthenope; Dominæq; latus retro partibûs æquîs
Divisêre truces famulæ. Grex ſemhomo poſtquam
Ordine diſcubuit ſcopuloſi vertice montis,
Crudeles cecinêre metrô Sirenes, & unà
Argutæ vocum fluxerunt melle ruinæ.
Non ita funereo vocem eliciente pavore
Gratus cantat olor, vel noctis nectar àëdon;
Ut primi Siren tenuit tunc torque ſuſurri
Auritas malè ſuavis aquas, arrectaq; ſaxa.
Fuſurum pæana oritur certamen in illis,
Iſti per Charites cantus fluit, evocat illa
Vocis mille animas, & amoribûs urget amores.
Fit ſonus! at canitur mors, raptaq; carmina vitæ
Infidi rabie pelagi: jam flebilis Helle,
Invitus nigras jam qui bibit Icarus undas,
Xerxis & æratos torques non paſſa rebelli
Æquora conflictu: nunc Julius & ſua cymba
Cæſareo vix ſalva auſu: nunc munere ceræ
Vix ægrè tandem Sirenum victor Ulyſſes:

Nunc

Reſpondit; quæ nunc caneret, ceciniſſe putantes
Vela retro faciunt, gaudentq; erràſſe ſonantis
Melle mali: mentem major tunc ſtrinxerat error!
Sic incerta viæ ratis ac incerta voluptæ,
Fugerat unde priùs, ſcopulo ſe reddit ovanti,
Sciſſà diu ſtudiìs; alternaq; laſſàq; tandem
Fluctibus in mediis, & nondum dente jubente
(Anchora cantus erat) metrô captiva pependit.
Claſſis ubi ſteterat; cuncti, cêu hactenus aurem
Lucta teneret adhuc, mergunt in carmine mentem:
Tranſtra gradu denſo pereunt, quando ordine nullo
Arripitur propior metris locus, & ſuper undas
Plus pendent perituri! vellent vel mare ſiccìs
Ire viìs, ut eant cæcis impulſibûs omnes!
XIV. At nondum totam, miſeri concorditer, illo
Combiberant peſtem modulamine; membra ſopori
Succumbunt! dubitatq; fides pedis, & caput ægro
Annuit errori plantarum; damnat &, aures
Mellitis patuiſſe metris; mediôq; negantes
Vinci ſomnô oculi digitos in bella laceſſunt.
Jam magìs atq; magìs ſcelus, ac in luce diei
Horret noctem oculus: nox non erat; inſcius illam
Fecerat ipſe ſibi. Non, ùt priùs, excubat ardor
Martius: hic languet, verba imperfecta relinquit
Jlle, nec ad proprii reſpondet claſſica Martis.
Arma viriq; ſimul nullo diſcrimine rerum
Funduntur lectô, quem ſors ſua cûiq; paravit.
Hæc ſuper, ipſe hoſtis Somnus nigra prælia miſcet,
Atq; ſoporifero dum membra papavere ſpargit,
Tarquinius velut exultat: non cæde ſed alta
Pace cadant ſomni quòd tot ſimul arma viriq;!
Excutit in miſeros patulìs vaga ſomnia ſcenis:
Jaſona

Jaſona jam credunt ſe prẽndere, perdere flammîs,
Atq; profanati ludibria Velleris, igne
Ritè abolere ſacro; ne ſit ſibi crimen inultum.
Aurea nunc credunt ſe regna videre: Midamq;
Se putat ille, Midâ genitum Patre ſe putat alter.
Iſte, velut Prothêus, in Gangem vertitur aurêum,
Aurô ardet, pretioq; Hermi novus additur ignis:
Vellet aquîs prohibere ardores, defuit unda,
Quiq; magìs fibras ac divite fonte Gigantem
Ureret affectum, tantùm Tagus adfuit amnis.
Luditur! ac uſum ſterilem deliria paſcunt!

Ante ſed, admotas quàm naves tangeret echo, XV.
Æſtu curarum fractus ſimilisq; coacto
Morphea Lechus agebat; naturaq; jubente,
Velivolîs clauſus penetralibûs, ante quieti
Se dedit, ignarus facti: poteratq; videri
Jam miſer; ac trabium clypeô, fluitantis & aulæ
Mœnibûs oppoſitîs arcere canentia fata!
Sed *Quid inacceſſum voci?* componite muros,
Muros transfodiet ſonus; & quà ſemita nulla eſt
Jlle viam capit, ac portas ſinè clave patentes.
Atq; adeò Lechi conclave natatile protunc
Ruperat, & peſtem miſit canor auribus ægris.
Tunc ſomnum ſuper unum alter ſinè lege modoq;
Incubuit ſomnus, geminoq; in robore Lechum
Vicit, & è Slavis preſſit magìs omnibus unum.
Sêu ſopor hic fuerat, sêu fortior ecſtaſis, alto
Ductorem tenuit non parva, per otia raptu:
Eſſet homo, non aſſereres, an vivus; an extra
Communes ageret Lechus ſua funera ſomnos

Nec plebeja Duci fuerant tunc ſomnia Lecho: XVI.
Namq; videt medios latè diſcedere cælos,

Urbs ubi ſiderea, omnipotens ubi Jupiter altô
Sublimis ſoliò, Proceres admittit, & audit
Pondera cauſarum: terræq; negotia promunt
Dîiq; Deæq; pares, ùt quisq; faventior orbi eſt.
Ecce ſed ante alios mærens procedere Pallas
Viſa, diu ſupplex, tanquam proponere magnæ
Momentum vellet cauſæ. Respublica Rexq;
Jupiter, audivit DICENTEM TALIA DIVAM:
Magne Tonans, quàmvis regitur tibi mundus habenîs,
Et ſervire Jovi juvat; hic ut compede liber
Sit famulatus, amas; pietatem nonniſi quærens
Sponte bonam. *Tantum, reor, in virtute coacta*
Diſplicuiſſe Jovi, quantum male cogitur illa.
Ergo jugum paſſos homines ac frena peroſus
Stare voluntati voluiſti libera regna.
Tunc & Cælicolas terris ſacrosq; vovebas
Vultus, & clypeo Pallas bene provida fixos
Geſto; venturos, terrarum Numina, Reges:
Auſpicibûs quêis omne decus, priſcamq; ſepulta
Indueret faciem libertas aurea: qualem
Roma diu tenuit, poſt pulſos urbe ſuperbos
Tarquinios, longùm ſibi protunc Rege Senatu.
Palladi quin etiam tantîs Authoribûs olim
Gneſnæâ ſedes promittebatur in urbe.
Atq; ego cenſebam felices illius horæ
Adveniſſe moras, cùm Lechus in æquore vela
Panderet; ut clypei augurium Regesq; futuros,
Aureaq; & freni deduceret inſcia regna.
Hunc modò, proh crimen! cantus defixit in undis?
Quivè rates atq; arma tulit metuenda vel hoſti,
Sirenum nunc præda jacet, nec morte virorum
Sternitur! o tantæ ſaltem ſi dedecus urnæ
Nôſſet!

Noſſet! & iſta Lecho ſineret mors eſſe pudori!
Sed perit ignarus, niſi turpia Jupiter arces
Funera! mitis opem ne differ Jupiter, oro;
Summus honor ſuperûm eſt, miſeris ſuccurrere rebus!

Hæc ait. Orator fletus tum dêinde ſecutus,
Grande patrocinium cauſæ: *Sunt pondera vocis*
In lacrymis, citiùsq; movet facundia plorans.

Rector AD HÆC cæli: Dea triſtibus eripe vultū
Nubibus: hâud fragili decreta adamante notantur
Me Jove lata. *Manet delebile tempore nullo*
Quod ſemel æternæ ſanxit ſententia Mentis.
Libertatem homini ſtatuo, ex animaq; refundam
Par decus in corpus; titulo tunc major utroq;
Ibit honor fauſtis mortalibus; aurea quando
Liberaq; aſpicient hac dote vireſcere regna.
Quam geris in clypeo, feret inviolata Nepotum
Progenies Lechum Authorem; Regesq; ſecundi
Libertatem illis facient regnare ſub oris.
Quin etiam Muſis prima fundabit in urbe
Poſteritas Lechi, ſedem primumq; theatrum.
Mors ſtyga deproperet; Lechus eſt mea cura: potentes
Cûi terras populosq; dabo: feret ille recluſo
Altum orbi titulum, quo terra ſuperbiet ipſa,
Et feret Authoris de nomine, *Lechia*, Nomen.
Affinis vult eſſe Polo? dabo regna *Polia*
Authori Lecho; gens indè *Polonia* fiet:
Parq; ſuis aſtris tellus mihi gratior ibit
Gentes ante alias; & nomine clarus utroq;
A Lacho PoLach dicetur, ab Axe Polonus.

Tempus

Tempus adeſt, quo terra Lechum vocet illa Parentē,
Et volo, ſit. Verùm glacies fragenda, nec una,
Ut veniat felix tam grati temporis hora:
Non facilè currit Fortuna in retia paſſu!
Hoſtis erit, vincendus erit terrâq; mariq; ;
Hunc acies frangent, illum Lechus unus in unum
Ibit, & alternô metet obvia colla duellô.
Sirenum modò peſte jacet? præludia ſunt hæc
Tyſiphones iræ, atq; parantis plura Megæræ.
Tu tamen interea Tritonia labere pennîs,
Et, quacunq; potes, prohibe ratione, vagari
Cantus immodicos necis. En venerabile Scutum
Præſagi Clypei, cælatosq; ære Nepotes
Regum antiquorum. Nihil hîc de Gorgone reſtat,
Vis niſì; non hoſtis Lecho, verùm hoſtibus ejus.
Hanc ubi projiciet cryſtallinus umbo pharetram
Miſſilibûs radiorum armîs, (res ardua dictu)
In ſcopulos ibit Siren, mirabitur omni
Cum grege cumq; metris truncos lapideſcere cantus.
Hîs dictîs: ſuperî diſſolvitur aula Senatûs.
Plaudentes Animas lituus novus & nova fama
Implet; & in feſtas abiêre tonitrua flammas,
Quòd Polus in terris emergeret alter apertis.
Siderei Vultus, & ſicubi cælica Lingua,
Vivat io! cecinit; *Jove nata Polonia*, *vivat*!
Terq; quaterq; Polô ſonuiſſe *Polonia* viſa eſt.
Hinc avidè ſpectant: qua parte Cracovia ſidus,
Gneſna ubi cum Vilna, Gdanumq; illuſtre locetur,
Poſna ubi, Lublinumq;, & Sandomiria mira,
Atq; ubi, ſol veluti, Varſavia, Regia Regum?
Tantorumq; operum, parviq; nec ætheris Author,
Supra alios omnes clamatur in æthere, *Lechus*!
Man-

Mandati memor hinc Pallas Tritonia, munus
Præſagum Clypei fulgentis imagine Regum
Aût rapit, aût rapere eſt per ſomnia credita Lecho.
Venerat antennas ſupra; mutamq; quietô
Remigiô claſſem ſpeculatur, & ægra Slavonum
Corpora fluctivagi dormire ignara ſepulchri:
Indè veneficii lituos cantataq; metra
Spargere mella ſuper, ſopire combiter auras,
Atq; ratem atq; viros toto æquore velle vorare!
Tum quod amor ſuaſit, properanter ab æthere pendens
Pallas opem miſeris urget. Contraria Sagis
Dia ſtetit, Clypeiq; jubar vultumq; Meduſæ
Dirigit in vultum (quanquam vis ſola relicta
Monſtroſi capitis, vultum ſupplebat & ora)
Et ſua in Authores vertit retrograda fata.
Miſſilis ex Umbone nitor, vix perculit illam
Semiferorum hominum nubem; ſtetit æthere fixus
Jlle metri cantus, ſurdîsq; obmutuit aurîs:
Vox lapidi ſimilis, ſimiles & hiantibus antris
Sirenes ſteterant: rictus abiêre loquaces
In portentificæ patefacta foramina petræ.
Dêin verſa ad naves: Procedite carbaſa, Dixit,
Hâud iter ambiguum eſt! ſed adhuc decumbite Slavi;
Tunc ego vos vobis, Patriamq; miſerta diemq;
Luce mei reddam clypei; dum Lechus abundè
Mente bibet plena, quod per ſua ſomnia vidit.

Talia volvebat Lechus tunc ſomnia: quando XVII
Jam medium ſciſſis Siren veniebat ab undis,
Sopitas merſura rates: prênſoq; rudente,
Voce ſimul dextrâq; ſimul trahit & canit unà,
Præcipitans, quà Scylla latrat; quà Nereus imus
Gutturis æquorei tumulum recluſerat, una

Ut

Ut ſimul ingluvie Slavosq; ratesq; voraret.
Interea ventos vis æmula fluxit in omnes;
Dum tenero cantu credunt ſua ſibila vinci,
Sibila conſociant, intendunt ſibila; raptim
Æolus, atq; Eurus, Boreasq; ſubinde Notusq;,
Vela per & ſcopulos & opertum navibûs æquor,
Infrendent furiîs rapiuntq; tumentia vela.
Sirenum dextra fruſtra revocante carinas,
Prævaluit turbo : *Pretioſa pericula credas.*
Hæc, quibûs eſt claſſis majori erepta perîclo.
Non opus eſt remô; latera impelluntur ab undis.
Nauclerus dêerat, Nauclerum ventus agit Rex;
Atq; magiſterii rudis, in diverſa locorum
Abſtulit errantes proras. Lechus indè ſiniſtram
Cum Czecho partem, Viſimir petit æquore dextram,
Prôut venti prôut fata ferunt; truce turbine cuncti
Diſſiliunt: cunctos rapit huc rapit impetus illuc,
Donec ab aſpectu ſibi mutua Roſtra perirent.

AR-

ſorte miſerabili. De eorum fuga ex Vandalia. De Civis Ovidæ pietate in Negnonem & Poliam. De Undalo adoleſcente, in curam Ovidæ tradito & relicto in Vandalia à profugis Parentibus Negnone & Polia. XII. *Narrat item Vinidis eadem, de ſorore ſua Vandilla, in exilio nata Parentibus Negnoni & Poliæ. De ſtigmate Ovis, pectori Vandillæ infantis congenito.* XIII. *Narrat ulterius eadem Vinidis, de Parentum ſibi in exilio amiſſorum jactura, Negnonis & Poliæ, ac Vandillæ infantis: eorumq; mutua avulſione per prædones facta in trajectu fluvii. De ſuo, id eſt Vinidis miſero ſtatu amiſsis Parentibus. De Fano Veſtalium Heneticarum. De Antiſtite Veſtalium Sibilinda, ejusq; ſtudiis. De ſuo, id eſt Vinidis congreſſu cum Veſtalibus; & de ſolatiis hinc indè acceptis. De fuga Veſtalium in arcem, & cauſa fugæ. De ſuî, id eſt Vinidis cooptatione in chorum Veſtalium. De ſuî electione in Antiſtitem poſt fata Sibilindæ. De picturis præſentibus:* (De picturis Vandalicis, Sarn: l. 4. f. 149. Item de Negnone Guag: f. 2. Orich: p. 6.) XIV. *Poſt finitam à Vinide narrationem hiſtoricam, Viſimirus admonetur viæ. Agit grates Vinidi, ſoluturus littore. Priùs tamen inviſendi templi Veſtalium, petit copiam & obtinet.* XV. *In templo, Viſimirus varia decora miratur: præcipuè pendentia è tholo arma, & galeæ inſcriptum nomen* Lachi. *Quæ-*

rit

rit de armorum origine, referens de Patris Lechi ſive Lachi nomine, & Colchica ejusdem origine. XVI. *Vinidis, audito nomine & genere Lechi, exultat. Narrat de armis antiqui Vandali. De auguriis Lachum quendã concernentibus, venturum in Vandaliam. De clypeo, ſtirpi Colchicæ præſago.* XVII. *Narrat ulterius Vinidis de armis ejusdem Antiqui Vandali, per Geſericum olim (exceptô clypeô) raptis è templo Lemiſaleti, ubi nunc Gneſna. De eorundem armorũ translatione per Geſericum migrantem cum exercitu è Vandalia in terras exteras.* XVIII. *Narrat item eadem Vinidis, de ſucceſſu, victoriis, Geſerici & Vandalorum.* (De quibus ex Vandalia Iſtulea profectis Sarn: L 4. f. 149. Guag: f. 4. Rubeis in Tab: Chron:) XIX. *Proſequitur adhuc Vinidis & narrat de Geſerici in Africam tentata migratione. De ejusdem caſu tragico, ac rurſus felici. De eodem Geſerico ſua damnante facinora, præcipuè in templi Lemiſaletani deprædatione admiſſa. De eodem Geſerico, cupiente reſtituere cultum & aras armis Antiqui Vandali. De iisdem armis, Galea & mucrone, à Geſerico appenſis in templo Veſtalium Heneticarũ.* XX. *Vinidis finiens de Geſerico & Vandalis hiſtoriam; facit apoſtrophen ad Lechum abſentem: Deinde ad Viſimirum; cui tradit arma antiqui Vandali propter Lechum, galeam & mucronem.* XXI. *Viſimirus accepto munere, grates agit Vinidi, & ſolvit littore Henetico.*

LIBER II.

LIBER II.

ALTERA lux rediit, cùm feſſa tumultibûs Euri I.
Claſſis, Viſmiri fuerat quæ bajula, quævè
Vincta ſopore fuit, procul accreſcentis ad undam
Littoris occurſum velîs ſubeuntibûs hauſit.
Portus erat, gemino currens in cærula portu,
Heneticum dicunt: tanquam miſereſceret, ambas
Amplexu properando ulnas laxaverat, ut ſic
Suſciperet gravè reptantes ſinè remige puppes.
Inter utrumq; latus ſupereminet aggeris alas
Arx murô aſſurgens, quam non manus ulla virorum
Defendit terrore; ſibi ſunt mœnia miles:
Caſtrum Virginibus caſtis, captumq; nec unquam
Exſtitit, eſſet uti Virgo Urbs à virgine cætu.
Vinidis Regina colit; cûi vilibûs ætas
Non teritur ſtudiîs, nec vitæ nobile penſum
Simplice fallit acu muliebriter æmula; dextram
Nec ſuper indecori vigil erudit hoſpita fuſo:

Sed labor eſt, flammæ Veſtali impendere curam;
Cura dehinc, monſtrìs orcarum grandibûs undas
Exuere, & per aquam nantes nece ſternere mortes.
Si qua capax lethi majoris bellua viſa,
Deſtinat hanc ultrix iræ Vinidis & hamo,
Partiturq́; calorem animi, ſociasq́; frequentes
Venatrix acuit Neptunia: piſcis in undis
Ut ſi quis validus, ne quando ſupernatet ullus.
Nec ſatìs: ultro etiam ratibus ſuccurrit amicis,
Quaſſatas reparare ſtudens: ad nautica vela
Extendunt famulæ candentia carbaſa; quamq́;
Uſus opem poſcit, miſeris præſtare laborant:
Illa gulæ, parat iſta ſiti, potuq́; cibôq;
Ferre miniſterium, trucis ac oblivia ponti
Suadere alloquiô. Reliquas Laris impigra cura
Diſtinet: hoſpitibûs magìs ut ſint grata magìsq;
Tecta, columnarum cervice jacentia, tecta
Interiùsq; Tyrô rubrìsq; tapetibûs ornant.
Omnibus una præeſt Vinidis, dirigit omnes.

II. Hæc matutini ſolis primæq; diei
Prima ſalutatrix, ſummâ dum proſpicit arce,
Stare rates laceras obſervans: *Surgite*, clamat,
Claſſis adeſt, famulæ; famulæ concurrite promptæ:
Quæ claſſis, videamus: amicam damna fatentur,
Non reor hoſtilem; miſeros vehit, hoſtica non eſt.
Dum claſſem aſpiciunt, ſubiit nova cauſa ſtupendi;
Nullus oberraret quòd navita puppibûs, extra
Quòd remus torperet iners, nec cura rudentes
Fixerat ad littus; ſed muta claſſe ſteterunt
Neſcio quod miſerum teſtantia carbaſa funus.
Orta cupido rei eſt; ac protinus arce relicta,
(Tunc, cùm fortè Slavos fugerent jam ſomnia ſenſim)
Excur-

Excurrunt raptim ſociæ famulæq; frequentes
Vinidisq; prior: quæ cominùs æquora poſtquam
Venerat, inſolito naves horrore ſilentes
Adſtupet! & dubitat, ſua ſe malè ludat an auris?
Sin minùs; unde rei tantæ, quis & Author habendus?
Scire cupit; ſuperat transtrum: videt inter eundum,
Armigeros lethargum omnes ſufflare profundum.
Hæſit: &, ad numerum ſibi vix còëunte loquela,
Oh! oh! exclamat, *Sociæ quò venimus? iſta*
Quæ ratis? infernas vehit an fataliter Umbras?
An venit, ut rapiat vos meq; Charonte miniſtro?

Talia Vinidis cùm diceret: Ecce Viſimir III.
Virginis ad vocem vigil expergiſcitur, atq;
Trux nec opinantem videt in rate ſtare catervam:
Et, quantum ex cultu teneroq; pavore licebat,
Feminei noſcit tremefacta examina cætûs:
Sirenesq; ratus, furit implacatus, &: *Adſunt*
Adſunt Sirenes, repetit, *fata obvia contra*
Arma Viri, rapite arma Viri! Simul extrahit ipſe
Enſem fulmineum, ſequiturq; fugacia terga
Exanimis turbæ. Ventô properantiùs illæ
Diffugiunt, tanquam pedibus timor adderet alam.

Quas ubi non in aquam Viſimir, ſed in ardua montis
Tendere, nec cernit tranare ſed aſpicit ire:
State Deæ, (CLAMAT) noſtrî hæc inſania noſtrî,
State, fuit casûs; & non deflebilis error!
Non ſatìs eſt peccâſſe ſemel; querimurq; perire
Rurſus & alterno miſeros errore relabi!
Saucia mens odiìs, necdumq; ſopore quietus
Is dolor ex illo, Sirenum ſanguine fuſo
Eluere inſperſam labem properaverat! O quàm

Inconſultus amor vindictæ præcocis! unà
Introitu veſtro ſomnîs diſſolvimur; unà
In benefactrices ſævit mea dextera Divas!
Parcite, ſi quis honos læſæ virtutis; & usq;
Afflictis veniam concedite Numina rebus.

IV. Dixit: & abjecto ferri geſtamine, ſupplex
Orabat veniam. Cui SIC Regina Vinidis:
Debita Divorum Dîis redde vocabula, certus
Nos ſimiles homines & non genus eſſe Deorum.
Nam pariter ferimus naturam, qualis eâdem
Conditione Parens mortales exhibet omnes.
Fortiùs indè malis, ſint hæc mea ſint aliena,
Indoluiſſe juvat; vicibûs quò ſæpius iîsdem
In commune agimur. Nec me maleſida nec ullum
Immunem poſuit ſors infortunia citra.
Noſco cicatricem, tantòq; paratior indè
Succurro miſeris: ipſi tibi quàmlibet hoſtis
Virgineum contra fureres temerarius agmen,
Parcitur ærumnis, nec habetur culpa dolori.
Fare tamen, quænam tibi ſuaſerat ultio, noſtram
Ut ſævus ſequerere fugam? caſunè, Deonè,
An quibûs, ùt narras, ades huc Sirenibûs actus?
Jlle: Vetant clades (DIXIT) tibi pandere cuncta;
In rem pauca tamen dolor hic ediſſeret. Ex quo
Jllapſis pelago vectisq; per æquora nobis
Deſiit à tergo nutritia terra videri,
Neſcio qui cantus, ſatìs eſt quòd ſævior ipſa
Peſte latratoris ſtygii, jaculatus in aures
Seq; ſimul ſomnumq; ſimul: ſoror illius atra.
Forſitan hîc cunctos mors ungue necâſſet & undîs,
A radice ſuas nisì vox tua verteret artes.
Sed læter, doleamnè magìs? mens anxia pendet!

Tu

Tu facis, ut deſint, facit at, ne triſtia deſint,
Cerno quòd has naves, Ducis & mihi Patris egentes,
Quem penes imperium claſſis, clavusq; gubernî!
Hêi mihi, quas repetam ſic pauper & orphanus oras!
Projectosnè Lares Patriæ deſertor iniquus
Claſſe petam manca, non hic qui Viſimir ante?
Ah pudet, in Patriæ vultum ſinè Patre redire!

Plura locuturum Regina redarguit: Iſtis V.
Pone modum (DICENS) Heros fortiſſime leſſis.
Placatis potiùs quin Dîis proſternere ſupplex,
In me quòd Patriam Patremq; receperis; adſunt
Flebilis opportuna viæ ſolatia: proram
Hîs tamen ut repares, arcem ſubeamus, oportet.
Hæc AIT: & prenſat dextrîs Heroa; viæq;
(Auguſtale ingens quà pandebatur) inhærent.

Ante ſed effuſæ famulæ mandante Vinide
Inſtruxêre dapes: tunc quidquid in alite cocta
Guſtus habet ſapidi, vel edulia prodiga ſervant,
Quidquid & arcendæ poſt tempora longa famiq;
Atq; ſiti ſervit, menſæ dedit ille paratus.
Accubuêre. Locum Vinidis prima, ſecundum
Ponè latus Regina tuum Viſimirus habebat:
Inferior poſt turba Slavûm, jejuna paratis
Ora dabant epulis. Urget convivia Virgo,
Inq; vicem pleniq; ſcyphi lancesq; feruntur;
Nunc Ceres implebat dextram, nunc udus Iacchus;
Ut veterum poſſet memor exſpirare laborum
Senſus, & ex tantis ambire pericula lucris.

Sepoſita tum dêinde fame, menſîsq; remotis, VI.
Vismirum Antiſtes SIC EST AFFATA VINIDIS:
Magne Hoſpes, noſtri ſpectacula grata Palatî
Viſere ſi tandem non deſpicis; iſtius aulæ

Circumduc per utrumq; latus tua lumina: credo
Nîl dabit aula, ſibi quo non pupilla jocetur.
Hæc ait; atq; præit Slavis: mandata ſequuntur
Jlli, ac auguſtîs hilares ultroq; citroq;
Porticibûs ſpatiantur. Erant, quibûs altiùs irent
Atria imaginibûs; Thuſcæq; ſimillima ſtirpi
Hinc Atavos pictura dabat, dabat indè Nepotes.
Stant Gnati Natæq; pares; quiq; arrigit ambos
Majeſtate oculos, ſtat Vandalus antiquorum
Thuſcorum Genitor; prope Thuſcus & inclyta Trojæ
Pergama, Grajus adhuc quibus inſultaverat enſis;
Fumabantq; ſuo colliſa cadavere tecta,
Quiq; ſuperſtabat fæcundus Martis operti
Hoſtis equus, miſer ipſe ſuo crepitabat ab igne,
Hinniret veluti, proprias damnaret & artes,
Ora Perillæo ſimilis tormentaq; tauro.
Cernitur & Regis funus; circùmq; ſupraq;
Ipſa ſuum Priami volitaverat Umbra cadaver.
Solus ad undantem fumô tabôq; ruinam
Dardanus à luctu ſibi temperat; unus in Umbram
Intentus Priami, ſolatur herilia damna.
Hæſit ad intuitum, Vinidis: Dardanus Author
Fata quòd & Priami lætus ſpectaret & urbis.
Ecce autem ſupra, quos non adverterat ante,
Vinidis cernit verſus, in verſibus illis
Dardaniæ ad Priamum legit hæc oracula ſuadæ:
Siste Nepos gemitum; Non rarò damna per ipſa
Naſcitur, & laceros Fortuna recolligit artus.
Quæ modò Troja cinis; quondam de pulvere Phœnix
Surget, & in terno revireſcet florida regno:
Itala naſcetur, dicetur & Itala tellus,
Altera de Venetæ pariet ſibi nomine nomen,

Tertia

Tertia penè Polo par alta Polonia ſurget.

Legerat hoc Regina ſtupens; &: Tanta paratur
Cûi Fortuna, (INQUIT) Jovis hîc arcana laborant!
Bina quòd ex urbis Trojanæ funere regna
Surrexêre, patet: Latiumq; Henetiq; loquuntur.
Neſcio quid ſupereſt, quæ terra Polona, quis ejus
Author? an ille olim Proavus mihi, Vandalus ille?
Jamq; veni Viſimir, Latiæq; Henetæq; videbis
Authores terræ, gemini capita ardua regni.

Introgreſſa novum poſthac conclave, duorum VII.
Effigiem monſtrat ſpectandaq; facta Virorum.
Ac ſimul: Hoſpes (AIT) ſunt hi, qui maxima regna
Fundavêre Duces: Æneas alter, & alter
Antenor, magnis famâ conterminus aſtris.
Poſtquam etenim magno cecidit cum nomine Troja,
Dux Anchiſiades profugas à littore claſſes
Detulit in Tyberim, caput ipſe decusq; Latini
Sanguinis, unde genus caperet Romana Juventus,
Ex illoq; vocarentur, quos Roma vocaret.
Claſſe alia Antenor, cædi ſubduxerat illas
Trojæ relliquias; profugusq; per avia ponti
Antiquos Henetos his ſaucius appulit oris.
Hîc ſociis Henetis, quà terra abſcinditur undis,
Diſtinxit ſpatium populoſis urbibus: illas
Eminus o Hoſpes viſu fac ito per omnes.

Hæc ait: effunditq; ſuper ſe prima feneſtram,
Ordine proponens hinc indè ſimillima fixis
Oppida navigiis, vicinum ſparſa per æquor.
Hæc super: Hoſpes (AIT) ſi poſcis nôſſe futuri
Involucra ævi, pandam: Maris oppida ſparſim
Quantulacunq; vides, Urbis ſunt ſemina magnæ:
Quæ modò particulæ velut, & diſcordia membra

Unius quondam coaleſcent corpus in Urbis,
Inter pendentis terram, maris inter & undam:
Ut dubitet, quicunq; velit ſe paſcere viſu,
An ſtet aquîs urbs immortalis, an àére nudo,
Annè Semiramidis muros an præferat hortos.
Trojugenas agnoſcet Heros, qui ſcilicet ibunt
Ex Henetis populi: ſed poſt ſuſpiria miſſa
Dicentur Veneti, ſimul Urbs dicetur ab illis.
Sic Vatum nos ſacra fides, illiq; perenne
Robur habet certos; & quos modò legimus, iſti
De picturati tabulati margine verſus.

VIII. Omne Vetuſtatis decus illa in parte locatum
Credebat Viſimir, nec jam ſupereſſe ſtupori
Majorem ſcenam: ſed enim penetrale receptus
Ulteriore, videt tabulæ miracula pictæ,
Ac omnes una victas ab imagine formas.
Effigies fuit illa Ducis, quem ponè cubare
Viſus erat Martis labor, innumeriq; triumphi.
Poſtulat & nomen Regis, Viſimirus; &; *ultra*
Quæ ſit origo ſuo (rogat ex Antiſtite] *Regi?*

IX. Mox ITA VINIDIS: Quem parjete cernis in iſto,
Vandalus occurrit, magno qui nomine Thuſcos
Reddit Avos, Abavumq; vocat prôut ipſe vocatur.
Dardanus & Priamus, quanti! non ſanguine longo
Fugerunt; parvoq; Virum viciſſe feruntur
Tempore Majores, quibûs es modò Vandale major.
Nam cùm fortè ſuo non emerſura ſepulchro
Troja parentaret; nec qui depellere Grajos
Capta urbe, aût victus ferrô ſua fata morari
Poſſet, erat; parvam morientis nominis umbram
Dardanii Cives ſubducere præcoce prora
Decrevêre pares. Mora nulla: miſerrima plebes

Deſe-

Deſeruêre urbem, ruiturq; ad littora raptim.
Vandalus acceſſit, vigiles cûi ſumma poteſtas
Armorum ſuper excubias; & noctis ad omne
Invigilare ſcelus, Trojamq; aperire volentes
Sternere, & à patriis retro fundere mœnibus hoſtē,
Cura fuit. Sed quò, tantum vigilata fideli
Pergama Cuſtodi? Grajum ſi ſuſcipit ultro
Troja dolum? è vivis & uti diſcedere vellet,
Intromiſit equum, qui perdidit ocyter urbem?
Vandalus hic igitur poſt deplorata cadentis
Fata urbis, pulſus ſequitur ſua damna; fugamq;
Projicit in naves, quà Dux Antenor & illo
Palantes Duce Trojugenæ ſeſeq; ſuasq;
Reliquias Patriæ, trabe ſubduxiſſe parabant.
Ingreſſi pelagus, per & æquora perq; charybdes
Huc veniunt, portumq; legunt, figuntq; gregatim
Caſtra; deinde Henetos cũ magno Antenore muros.
Antenorq; dedit, ſua quòd Reſpublica nomen
Poſſet habere auguſtum, & poſſet libera naſci.
Pars Henetæ ſed magna Animæ quærebat, an orbe
Ullo alio poſſet celeberrima Troja renaſci?
Vandalus his Ductor; comites qui traxit, & unà
Nunc has nunc alias victore interrogat enſe
Terras atq; urbes, donec reſpondeat ulla
Optatis regio, quæ poſſit Vandala dici.
Sarmatis eſt tellus; Nigri maris indè receſſum
Aſpicit; oppoſitæ freta Balthidis aſpicit illinc:
Montibûs aſſurgens fert proxima brachia cælo,
Et modò Carpatias rupes, modò dicere geſtit
Venedicos, claro cantandos nomine, montes.
Sarmatidis tellure locat, quod duxerat agmen
Vandalus. Evomuêre iram, vaſta arva colentes

Sauro-

Sauromatæ; hoſpitiumq; negant, hoſtisq; putatur
Vandalus; Indigenarum odiis pugnare jubetur.
Pugnat, & exſcindit, quidquid truce nomine clauſit
Barbaries: unoq; velut ſub vulneris ictu
Sauromatûm populi jacuêre immane cadaver.
Quid moror? emeritæ laudavit prælia dextræ,
Quàq; calebat adhuc & adhuc diffundere ſtragem
Viſus erat ſanguis; *Trabeata colonia creſce*
Vandalus exclamat: *Nec tu hoſtica terra theatrum*
Surrecturo operi temnas concedere; nec te
Erubeas ſed ama tanto cum fenore victam:
Purpureos fas hîc ut Troja reſeminet ortus,
Seq; renaſcentem miretur in exule gleba:
Et quotus eſt, magno qui nolit ab Hectore cûiquam
Eſſe Caput genti, Trojanus & abnuat ire?
Sparge caſas miles, Domus hîc erit Hectore digna.
Dixerat: ac Heneti poſito ſêu exule ſive
Milite, jam fieri poſt tot diſcrimina Cives
Incipiunt: ſed abhinc Heneti periêre priores,
A Duce nomen amant, nomen dat Vandalus illis,
Vandalidæq; dehinc cupiunt gaudentq; vocari.
Nec ſatìs: & fluvius, qui princeps littora inundat,
Voce Repertoris titulôq; ſuperbus, euntes
Vandalus urget aquas: nomen terra invidet undis,
Vandalia usq; modò diciq; ac eſſe meretur.

X. Hîs dictîs, movet indè pedem ſtatione relicta,
Ingrediens conclave novum. Tunc parjete picto
Deplorandi hominis ſpecies apparuit: Ibat
Regnô exul ſinè honore Senex, madidusq; per undas
Plus tamen à lacrymis madidus; plorandus & ipſe
Littus abhorrebat; pullatus amictus in illo eſt.
Iſte quis (EXCLAMAT VISIMIRUS) cyclade triſtis
Fune-

Funerea, luctatur aquîs inglorius Heros?
Arcanum Regina doce. REGINA REPONIT:
Ah! meus eſt Pater iſte, meus! quem fata tot inter
Deformem video! non ſi mihi mille profundus
Ora daret gemitus, ſævos Negnonis adempti
Enumerem caſus; sêu quos Fortuna per illum
Sive per innocuam prolem ac uxoria damna
Alternîs vicibûs dedit inſanire! diesq;
Deficeret te Phœbe priùs, quàm ſingula dictîs
Complectar. Nonnulla tamen, rem nôſſe volenti,
Quando jubes Viſimire, loquar: ſi porrigis aurem,
Ne dubita, ſocio mox ipſe movebere luctu.
Confedêre ſimul; mox INCIPIT ORE VINIDIS: XI.
Ordiar ut magni rem carminis, ire retrorſum
Fas eſt, Vandaliæq; aurem præbere priori.
Namq; ego, ſi neſcis, Materq; Paterq; Sororq;
Vandalica de gente ſumus. Sumus ah! ſumus ah! cur
Mater abes, nec ades Genitor, veſtra oſſa nec adſunt?
(FLET SIMUL, & LACRYMA VOCEM IMPEDIENTE PERORAT)
Poſtquam Sarmatiæ nomen delevit avitum
Vandalus, èq; ſuo ſua nomine regna vocavit,
Vandalici poſthac terram rexêre Nepotes,
Bis ſeptem numerôq; pares virtuteq; belli:
Quos inter, ſceptro ſucceſſit & extulit omnes
Pannoniæ Victor, famâq; noviſſimus Heros
Ultimus Hildibius, quem maſcula linea magni
Vandali, in extremum poſuit malè provida punctum,
Ultimus Hildibius Gnatam poſt fata reliquit
Nomine Poliam, partes per utraſq; pudori
Et per utraſq; ſibi formæ cum laude probatam.
Quis Procus, aût humilis peteret voto impare Sponſo
Vandalicam Nepten? Civis, Duxnè exterus? at ne
Sce-

Excutit omne ſolum, latebrasq; perambulat omnes,
Paſcat ut innocuo rabiem de ſanguine latro.
Quod tegeret Negnonem à tempeſtate ruenti
Conſilium dêerat; dêerant, quibûs ultio ſeſe
Viribûs erigeret: ſuſpectaq; Patria viſa eſt,
Quando ad Geſericum civis defecerat omnis.
Ergo miſer Negno cum Conjuge cumq; Vinide,
Senſit ùt inſtantem jam tergo incumbere cladem,
Exiliô Patriam ſtatuit mutare: ſed ambos
Cura gravis cruciat parvâ de prole Parentes!
Undalus in cauſa Natus, cûi tertia meſſis
Necdum elapſa fuit. Flentes tunc Negno, Polia,
Quid faciant? hærent: committant pignora tanta
Exilio ſecum? ſed magna incommoda ferre
Vix ætas Pueri lacteſcens poſſe videtur!
Flentibus ingemuit, qui tunc adſtabat Ovidas,
Atq; ita: Quid laceras (dixit) jam vulnere fractum
O pectus Regina tuum! num perdita reris
Omnia, & amiſſi damnum irreparabile regni?
Sit ſpatium ſceleri, ſeſeq; rebellio ſummum
Tollat ad usq; nefas: parvi mora temporis hujus
Atteret Eumenidas; *Pretiumq; Tyrannis habebit,*
Turpè exultantes gemitu compeſcere plauſus.
Parvus hic, & lacrymas inter luci editus infans,
Major erit, quàm quem præſens injuria quondam
Poſtulet Ultorem; tacito cûi ſpiritus igne
Perq; oculos per & ora minax effulgurat; & ni
Lacte domaretur, non tardi fulminis iram
Excuteret, raperetq; ſuos cita flamma rebelles.
Ut Video, parva lacteſcit imagine virtus
Vandali & Hildibii; ac animâ ſuaviſſimus Infans
Heroas Proavos vultuq; intercipit omni!
Hic

Hic pro Patre Puer feret arma, & ſtrenuus enſe
Flagitiis Geſerice tuis pœnam afferet Ultor.
Sic ſibi ſpes loquitur: ſed enim fruſtranea votis
Vota fatigamus, ſi, quem modò Mater inermem
Deploras, perimis Puerum: perimesq; futurò
Si tecum exiliò rudis hæc jactabitur ætas.
Bellanè ventorum, pluviasnè, incommoda veſtræ
Suſtineat Puer iſte fugæ? cûi tenvia membra
Atq; breves animæ poſcunt à turbine pacem?
Si ſapis, & fidei tibi nomen amabile noſtrum,
Vagiat in Patriæ cunis Pugil; aulaq; Ovidæ
Vandalicæ ſtirpi det & ubera detq; ſalutem.
Hoſtibûs ignarîs adoleſcet fulmen in hoſtes
Puſio, & ultores invadet tutior annos.
Finiit. Aſſenſu tunc ultima verba ſecuto,
Traditur actutum curæ poſcentis Ovidæ
Undalus; ætatem privata tutus in aula
Ut peragat, creſcatq; ſuis quondam hoſtibus ultor.
Ultima Tutori dare tunc mandata parabant
Soliciti lamenta inter lacrymasq; Parentes.
Obſtitit à tergo venientis fama perîcli
Hoſtis ab inſidiis: pavor omnia miſcuit ingens,
Quem dedit à tergo Geſericus. Viſa repente
Caſtra hominum volitare, truciq; incondita vultu
Explorare fugam Negnonis. Deſerit extunc
Negnonem, dictoq; *vale*, properanter Ovidas
Ad ſibi cum Puero ſecura mapalia præceps
Abripitur. Capit indè fugam Negnoq; Poliaq;
Ignari, quò fata illos quò deferat error!
Hêu! profugos ſequor ipſa comes, triſtemq; Parentum
Fortunam pedes antevolo! properatur! & ægra

Eſto

Eſto foret Polia, gradum tamen urget, & inſtat.
Inſtat: at afflictæ torquetur imagine mentis,
Negnoniq; timet: nec tam de ſorte futura
Quàm trepidat ne poſthabito Fortuna favore
Rurſus agat profugum Negnonem in vincula; nevè
Exitio fuga ſit, quæ debuit eſſe ſaluti!

Usq; adeò miſeram circumſedêre Poliam XII.
Non. interrupti fatorum lege timores,
Ederet ut luci, prolis Polia tenellæ
Triſte puerperium; mirareturq; quòd auſus
Trux dolor eximia ſibi tunc ſoboleſcere prole:
Filia namq; illi nata eſt; in pectore cujus
(Mira loquar) viſu longè pulcherrima fulſit
Velleris effigies, & Ovis pendentis imago.
Stigma fuit, ſed quod decori nîl demeret; imò
Ornamentum ingens genitæ daret indè Puellæ.
Quale ſolet Regum pendere in pectore Vellus
Et ſimul eſt decori. Tali ſub imagine natam
Infantem, exiliò quoniam prognata Parenti eſt,
Nomine *Vandillam* Mater miſeranda vocavit.
Nomen ab exilio factum eſt, non abſq; futuræ,
Quam ſimul edicam, miſerabilis omine ſortis.

Scilicet hoc tandē vix nobis tempore paulùm XIII.
Reſpiràſſe datum; cùm rurſus abire, fugamq;
Cogimur in terras curſu celerare remotas.
Flumen erat medium, nec aquis ſua defuit ira
Invalidum victura hominem. *Cave frigora fontis,*
Negno ait: *ac, ùt adhuc in febris imagine tota es,*
Parce pedi Polia, & peſtem crede procellam:
Ibo prior, rapidiſq; fidem rimabor in undis.
Hæc ait: alterna partitus & arte labores,
Dividit officium; juſsâq; manere Poliâ,

In

In ſua conjectat mea brachia, meq; Vinide
Bajulus, actutum volucri pede tranſabit undas,
Ac Onus elatum primâ deponit arenâ.
O malè diſſociata, tuâ, mea terra, Polia!
Præſagîs agimur fatîs, dum ſcindimur! hæc &
Littora nos nunquam patientur noſtra coire!
Linter erat; fuerat cûi non à vulnere rimæ
Quaſſa ſalus; Thetidemq; fuit quia doctus arare,
Reddereq; hûic aptus quos invitaret ab illo
Littore, deligitur Poliæ cymba vehendæ.
Solvit Negno ſcapham, de nunc Duce, Navita: jamq;
Fons medius gemuit ſub remige, jamq; parabat
Hàud ſatìs admotam Polia aſcendere cymbam.
Ecce autem (o facinus!) rapidô ruit ocyor Eurô
Prædo agmen; trepidamq; lupus rapere ùt ſolet agnã,
Poliam latro turba capit! non obfuit infans
Vandillæ gemitus, rapitur cum Matre Puella,
Utq; famem paſcebat adhuc de nectare mammæ,
Tunc pro lacte bibit lacrymas Matriſq; ſuasq;.
Qualis, & o triſtî quàm nigra tragædia ludô
Scenam habuit; dum cruda Domũ Rhamnuſia noſtrã,
Corpus ùt Abſirti diſcerperet ungue rapaci!
Negno ùt erat medio deceptus flumine, pulſa
Deſilit è cymba, ne Conjugis ore vocatum
Cymba moraretur: Sed enim tardante ſenilem
Amne gradum, quàmvis præceps pede, laſſus & uſq;,
Tardus opem nullamq; tulit! Procul arbuta versùs
Præda trahebatur; menſuraq; ſegnis arenæ
A ſpolioq; ferox, nec & unus latro, negabat
Poſſe reluctantem repeti cum prole Poliam!
Non tamen abjecit mentem, qui fervidus irâ
Ibat ut exigeret ſua pignora Negno; tot inter
Cæde

Mitteret, & prorſus Trojanam exſtingueret urbem.
Veſtales ſuper una fuit Sihilinda Sacerdos:
Quæ poſtquam officii partes implevit, & igni
Nutrimenta dedit, ſtudia in diverſa ſorores
Avocat; ac miſſos inſtauratura labores
Otia concedit campi: præit ipſa, nec illæ
Ad Ducis exemplum ſegnes: modò divitis agri
Delicias, Floræq; oculos & olentia regna
Prætereunt; modò, quæ Zephyrô nova fortè venîbat,
Delibant auram, gaudentq; bibiſſe recentes
Aërias animas, & habentes pharmaca ventos.
Diſcurrunt hilares, &, tempore forſan eodem
Quo meus in caſſes abiit cum Conjuge Negno,
Approperant fluvio, longosq; in margine fontis
Exercent ludos, minùs ad diſcrimina cautæ.

Veni illuc, ubi ſcena velut, ſinè lege Puellas
Ire redire leves, & ludere littora ſupra
Littus arenoſum dabat eminus: eſſe putabam
Nymphas, & miſsîs ſpatiari nonnihil undîs.
Utq; Puellares per arenam nare choreas
Cominùs aſpexi; geſtuq; diſerta ſonôq;:
O quæcunq; eſtis, dixi, *ſuccurrite noſtris*
Rebus, & hêu veſtrî ſimilem ſervate ſodalem!
Audierant: pavidæq; nihil, licèt eminus in me
Signa notent peregrina, ruunt: hæc cycladis, illa
Pendet ab ignotî vultûs novitate, meoq;
Mœſta dolore dolet; cauſam rogat illa doloris,
Tactaq; lenem animum, ſolamen inutile noſtris
Luctibus adjecit lacrymam, fit & altera flendi
Cauſa aliis. Tantum noſtro de vulnere vulnus
Ivit in adſtantes! Donec præſtantior inter
Una alias, Sihilinda cui venerabile nomen:

Quantum,

Quantum, ait, *experior*, *tua te vox prima*, *Puella*,
Eſſe monet noſtri peregrinam ſolis, *& eſſe*
De genere auguſto, *nec quidquam è plebe trahentem.*
Regales noſco gemitus, *lacrymamq́; Ducalem*,
Plus Majeſtatis quàm mæſtæ nubis habentem.
Dicere ſi poſſis, *dic præſtantiſſima Virgo*,
Nominis & Patriæ decus; & quæ tanta doloris
Eſt tibi materies? Dixit. Sequor indè jubentem,
Exiliumq́; Patris narro, raptumq́; Poliæ,
Prædonumq́; nefas, & adempti fata Parentis.
Demoror attonitas narratu, ſæpè coacta
Inceptum reparare ſonum, mutilamq́; loquelam
Colligere ad numeros, indignariq́; dolori.
Ut ſatis edocui; tunc ſic Relocuta Sacerdos:
Siſte (AIT) o Virgo lacrymam; *Malè vulnere ſanas*
Vulnera: quodq́; ferit fulmen, plus frontis ab atra
Nube redardeſcit. Fatis cur fortior ipſis
Eſſe fugis? *Se ſe miſerum quandoq́; negare*
Pars Fortunæ aliqua eſt. Fateor, vix poſſe Parentū
Sperari reditum, miſera o Pupilla, tuorum!
Sed non prima nefas pateris; numeresq́;, licebit,
Mille errare animas malefido littore, mille
Vinctorum capita acta hominum; qui peſte rapinæ
Latronum fuerant indeclinabile votum.
Fallor? an iſtam etiam tibi projicit alea ſortem?
Projicit; infidum niſi mecum deſeris amnem.
Nulla mora eſt: latebris video prodire latrones,
(Extenditq́; manum, sylvamq́; ostendit et illos)
O fugite o Sociæ! pereat malè littus avarum.
Sic clamat, revocatq́; pedem, pavidasq́; Sorores
Irrequieta rapit. Diſcurritur: Iſta ſequentem
Anteit, hæc ſequitur; prætervolat illa, prioris

Hæret at iſta humeris: capimus capimurq; Puellæ.
Ipſa manum Sihilindæ amplector, & avia præter
Querceta & rupes, & non ſatìs arbore tutas
Effugio terras; hoſtem rata quamlibet umbram.
O, Faſtos ſcribenda inter, quæ pænè tenenti
Eripuit ſtragi ſubductas hora Puellas!
Arx in conſpectu fuit obvia; nomen Aſyli
Si quando meruit, certè tunc digna vocari,
Dum, veluti valvarum adapertilis ore, vocaret
Effuſas Habitatrices, prope perdita caſtra,
Atq; uterô caperet redeuntia viſcera, Alumnas.
Mœnibus illapſæ properamus in atria templi,
Thura Diis, gratam teſtantia munera mentem,
Facturæ: data ſunt Dìis thura faventibus, inq;
Carmine virgineo Divûm tutela ſalusq;
Servata inſonuit. Pietate ardentior illâ
Nulla fuit: *Faciunt citò docta pericula ſanctum!*
Aſt ego, quod ſolùm potui, vice carminis, ipſas
Ante aras ſupplex, oculìsq; diſerta, dolori
Eſſe modum vetui: nec, quàmvis ſumma Sacerdos
Poſt ſacra poſtq; Diis data thura rediret ab aris,
Deſino funeſtìs prenſare Altaria palmîs.
Tollere cùmq; moram Sihilinda juberet; In istas
Erupi Voces: Permitte ſacerrima Divûm
Antiſtes, permitte mori: ſi perdita, triſtì
Non merui caruiſſe rogô, mihi veſter hic ignis
Buſtum erit! o! abeã in cineres, nece dũmodo noſtra
Placentur Superi! phœnixq; è funere Natæ
Vivat uterq; Parens! hasnè, o ſanctiſſima Cuſtos,
Hasnè aras ego dimittam? *Poſt omnia* quando
Unum reſtat, habere Deos prece ſupplice victos?
Si Patrem Negnona mihi ſi fata Poliam

Eripi-

Eripiunt, at ne Divûm ſervire furori
Eripiant; aræq; ſimul templiq; Miniſtra
Poſt amiſſa vocer tot nomina. Fallor? an ipſæ
Aræ me fugiunt, & abhorret ab exule, Veſta?
Virgineæ mentes, ſuperis par ordo Deabus,
Has ego per lacrymas, per & oro miſerrima Divos,
Sim veſtrî pars parva chori! date jungere Nomen
Nominibus veſtris. Tuq; o Sihilinda Sacerdos,
Grande ſodalitii Caput & mihi Numinis inſtar,
Effice; Virgineo noſtrum ſctibatur in Albo
Nomen; & optatis ſim de Veſtalibus una.
Sit deſideriis ſua ſpes! hêu! quantula voti
Summa mei, inveniat non ut ſibi protinus aurem?
Deſieram. Sihilinda meis facilesq; Sorores
Annuerant precibus. Vinidis ſcribor in Albo
Atq; Rudimentum non aſpernabile ſacris
Pono Miniſteriis; bis ſexq; per ordine meſſes
Et ſtudia & tacitos operoſior exigo ſoles.
Jam decadem ſupra geminã mihi creverat annus
Altior octavô, cùm feſſi plenior ævi
Lucem odit moriturq; ſenex Sihilinda Sacerdos.
Reginæ inferias ubi triſte peregimus agmen,
Verſæ agimur, Dominæq; datur nova cura creandæ,
Eligor Antiſtes: facit & me tempus ad iſtud
Imperitare ſuper Veſtales Veſta Sorores.
Cùmq; ego porticibûs vidiſſem ſæpius iſtîs
Effigiem Regum, depictaq; funera Trojæ,
Adjeci (meminiſſe juvat) fata altera Trojæ,
Dum mala Poliæ, mala dum Negnonis adempti
Reddere Apellææ ſtudiîs conniterer artis.
Hi modò ſunt, quorum Fortuna in imagine triſti
Ludit adhuc! o quo Viſimir fortiſſime vultu

Acciperes; ſi, quem nunc admirare colorem,
Aſpiceres ſcenam, non ſcenæ lugubris umbram!

XIV. Finit, & preſſo lacrymata eſt ore Vinidis.
Nec minor affectu Viſimirus; imagine mentis
In priſcæ ſcenam hiſtoriæ deſcendit, & intrà
Dividitur fabrasq; odiis, animumq; dolore.
Nunc Geſericum furiis petit, indè dolendos
Adſtupet eventus; nunc ceu ſpectator adeſſet
Ingemit ipſe malis conſolaturq; Viniden.

Interea claſſem velis remisq; valentem
Sclavonum labor aſſiduus curæq; peractæ
Reddiderant: potis eſt maria alta reviſere rurſus
Puppis, & ipſa viam ſuadebat amicior aura.
Aura favet, properate Viri; de puppe Magiſter
Conclamat: *date vela undis, dum mitior unda eſt.*

Audiit apta viæ Viſimirus ùt omnia; gratam,
Hoſpitii prètium, ſuadam depromit, ET INFIT:
Tempus adeſt Regina viæ; non demoror ultra
Hiſtoricæ ſeriem ſuadæ, ne ſæva cicatrix
Sive recrudeſcat Vinidis pectore, ſive
Me minùs ad curſus reddat, mala nautica, fortem.
Prorſus at ignoro, quas nunc tibi ſolvere grates
Sufficiam: pelagô ejectos tu prima miſerta es;
Cùmq; dares portum, nos unà jure dediſti
Gaudere hoſpitii: benefactis nulla, fatendum eſt,
Gratia par, veniuntq; datis retro dona minora.
Munus adhuc Regina unum te deprecor: ante
Littore quàm detur ſanatas ſolvere proras,
Viſere ua templum Veſtæ, non nomine vano
Regiam, & Iliacæ regnata altaria flammæ.
Thura pares dabimus, placabit & hoſtia Divos;
Ut mihi, quævè tibi, rapuit Fortuna Parentem,

Hæ

Hæc eadem reddat; curſusq; ſit æquore felix.
Annuit oranti Regina: locôq; relictô XV.
Itur in auguſti penetralia ſacra Palatì.
Oſtia diſcedunt, ſuperantur & oſtia centum,
Donec ad æternæ ventum eſt conclave favillæ.
Hîc iterum nova pompa Domûs, Phrygioq; colore
Mœret, & in triſtem Troja eſt collecta figuram:
Albet hic argentô paries, rubet alter in oſtro;
Ingeniôq; artis, labor aureus aurea menſa
Suſtinet ardentem, decus inviolabile, flammam.
Singula miratur Viſimirus, hiantis & inſtar
Vultu, oculîs, animô verſat, majoraq; laude
Agnoſcat portenta licèt, tamen omnia laudat.
Jllum equidem nunc hæc adytîs, nunc illa moratur
Delubri facies; ſed plus tamen omnibûs uno
Pendet ab obtutu, poſtquam ſpectavit eburnô
Arma tholô, Galeamq; ſacram, nitidumq; Mucronis
Ex horrore decus; quodq; ipſa ſtupeſceret ætas
Arma licèt defixa diu, rubiginis expers
Attamen & galeæ fulgur, bellacis & enſis,
Damna ſenectutis carioſæ nulla ferebat.
Admovet extemplò dextramq; oculosq; Viſimir,
Ac indignatum ſua deſuper otia ferrum
Attrectat, verſatq; manu. Nuda ira mucronis
Senſerat Heròém, ſolitôq; minaciùs arſit.
Plus Galeæ nitor exhibuit, domus aurea quondam
Non parvi Capitis, majoris at indè futura.
Mox iterum ac iterum galeam circumſpicit; ùtq;
Bis circùmduxit non feſtinata per orbem
Lumina, diriguit Viſimir, dum caſſide legit
Vulnere facundum, metrumq; adamante notatum!
Imâ etenim circùm quà caſſis deſinit orâ,

Hoc carmen: *Lacho Capiti*, Galea alta ferebat,
Et ſtupet, & lecto Viſimirus carmine ſe ſe
Non capit! hærentem, fruſtra comes ipſa Vinidis,
Arcanum quid mente agitas? Regina monebat.
Ut ſibi ſe tandem Viſimirus reddidit: O quod
Portenti genus aſpicio, quod (DIXIT) iniquis
Solamen rebus! periit non totus in undis
Mî Lechus, inveniq; Patris veſtigia, Nomen.
Hêi mihi! ſi liceat tantùm gaudere repertîs,
Deq; Patre amiſſo ſupereſt niſi nomen inane!
Et potes, & Regina doce: cur Lachus & à quo
Scriptus ineſt galeæ? quid & hæc ſibi caſſis & enſis
Arma volunt? aliquem num de mortalibus unum
Agnoſcunt Dominum? fac ſcire, quis ille ſit Heros,
Qui victorem ornatum animæ ſuſpendit ab ara?
Tempeſtate aliquis num veſtra ad littora Lechus
Venerit, & votum Dîis ſervatoribus Hoſpes,
Cælatum proprio, galeam, cognomine munus
Obtulerit? faveant o Numina; dentq; quòd iſtud
Eveniat! non id ſinè cauſa poſtulo: namq;
Lechus erat, Slavis alio cognomine Lachus
Dictus, & è primis Dux præſtantiſſimus unus;
Hoc Genitore ſatus ſum Viſimir; èq; vetuſta
Colchide progeniti, dum radimus æquora remîs,
Me Pater, & Patrem paribus raptatus ab Euris
Filius amiſi, quærorq; & quæro viciſſim.
XVI. Hæc ait ille. Manu mox plausâ lætior oris
OCCUPAT ANTISTES: Tunè o fortiſſime, Lacho
Patre ſatus? trahitisq; genus de Colchide veſtrum?
O te, errore maris miſerum feliciter, Hoſpes!
Accipe, quam galeam miraris quemvè mucronem;
Accipe, & invento Patri ſua munera defer:
Illius

Jllius hoc Nomen, Galea illius, illius Enſis.
Scire cupis, pactô res quonam evenerit? audi, &
Usq; à Vandalica repetamus origine cauſam.
Sauromatûm ſtrages, antiquus Vandalus, iſto
Vincebat gladio, galeâq; inſignis eâdem
Usq; à Carpatiis ſcopulis ad Balthidis undas
Deſcendentem oram Domitor frenaverat ingens.
Auguriîs Vatum didicit tamen: *E regione*
Venturum longa, qui Colchus origine, ſerò
Vandaliæ imperitet; ſed famâ major, eandem
Ipſe vocet magno Lechiam de nomine Lachus.
Nec documenta aberant: Divini quippe laboris
Ingentem clypeum (Jovis hic pendebat ad aram)
Poſteritate ſimul Lachiq; ab imagine ſanctum
Myſtæ oſtendebant, divinabantq; futura.
Nîl fatis, contraq; nihil decreta Deorum
Vandalus obſtiterat; quin captus amore futuri
Hoſpitis, è longoq; Viri decora ardua libans,
Poſſe ſuum Lacho gaudebat cedere nomen;
Utq; palam faceret, ſe nîl monitoribus aſtris
Iraſci, lateris cuſtodem protinus enſem
Victricemq; capit galeam; tum fuſus ad aras
Præſago Lachi clypeo ſuperaddidit arma
Ipſe ſua, Heroi votum mirabile quondam:
Cêu jam tunc vellet majori cedere regnum.
Hæc modò te Viſimir rapuêre medullitùs arma, XVII.
Mirantiq; oculos caſſis perſtrinxit & enſis.
Quis tamen illa Deus, magnæ (fortaſſe requires)
Vandaliæ eripuit, temploq; appendit in iſto?
Audi Hoſpes, patiensq; affer narratibus aurem.
Vandalus occiderat, canîsq; præiverat ætas
Paſſibûs, ad noſtri dum littora venimus ævi;

Tem-

Tempore, quo Geſericus atrox Negnona potentem
Exuerat regnô. Pudet o! meminiſſe nefandi
Temporis iſtius! ſed ab hoc tamen orſa malorum
Impietas telam, quæ cardine moverat orbem!
Sævior ex rapto Geſericus ſceptra regebat
Vandalia in magna: puduit tamen eſſe ſuperbum
Alterius Trabeâ; Nemeſimq; aliquando futuram,
Raptoremq; ſibi ſimilem, Regisq; fugati
Vindicem, & ultrices miſſura tonitrua flammas
Horret, & hoſte magìs ſe ſe Dux impius odit.
Quid faciat? Patriæ cùm ſit, tamen eſſe recuſat
Hoſtis, & hanc maculam diademate nauſeat emptam.
Jam civis mallet, jam mallet & incola dici,
Negnoniq; ſuum cuperet latro reddere ſceptrum.
Dum dubitat; pavidæ ſedit ſententia menti:
Subtrahere inviſum Patriæ caput; & quod habebat
Nullum, jure throni ſoliôq; excedere raptô;
Non indemnè tamen: furor eſt rapere extera regna,
Et ſcelus antiquum ſcelere emendare, quod intrà
Famam abeat; quantumq; armîs quantumq, furore
Vandalidæ poſſint, terras orbemq; docere.
Ergo rapit, quæcunq; aderant fidiſſima caſtra,
Multa ſed illa aderant; quorum ſuper agmina primus
Geſer, & ore minax: *Quàm ſit dormire furori*
Turpe, ſeneſcentis nec pacem rumpere ferri,
Edocet: *eſſe orbem medio ſub ſole jacentem*
Quo non uberior, quo non ſecurior alter,
Et nondum timuit qui Vandala nomina. Plura
Dixerit ille licèt, tamen hæc quoq; dixerat: Itur
In ſpolium, ſequiturq; Ducis mandata Juventus.
Quærit & auſpicium Geſer malè fortibus auſis;
Quodq; in Vandalia, Lemiſaletana premebat
Jugera,

Jugera, & auguſto ſurgebat in àëra faſtu
Delubrum Jovis, exſpoliat; Galeamq; ſacroq;
Parjete pendentem Geſericus diripit Enſem,
Vandale vota tua, & venturo munera Lacho.
At non in Clypeum licuit tibi peſſime Gejſer
Illud idem; nam fraude pia, furtôq; fideli
Cura Sacerdotum ſubduxerat ægida ſacrum. XVIII.
Enſe tamen rapto galeâq; audacior, idem
Victa ſibi Geſer putat omnia: quàq; patebant
Extera, pervadit rapto ſecum agmine, regna.
Hêu, quanto ille orbem peragrat torrente ruinæ!
Non objectæ acies, non illum caſtra nec enſes
Terruerant: ſuperat, quodcunq; repugnat eunti
Fulminis in morem: ferrôq; tremendus & igne
Diripit, exſcindit, cremat omnia, & omnia vaſtat.
Vos, quæ vulnus adhuc meminiſtis, dicite regna,
Quid bellô valeat ſtirps Vandala? quantus ab illa
Gente, timendorum terras oppreſſit acervus!
Omnis ab Heſperio quà littore tenditur orbis,
Per Gallos, per & Hiſpanos, per ſaxa Pyrænes,
Trans Alpes & Aventinum, trans usq; theatrum
Europæ, ac ultra quod circumplectitur iſte
Terrarum velut oceanus, ſuſcepit inultum
Fulmen, & à magno minor ivit vulnere mundus!
Tuq; Parens mundi, nî te tua fata laterent,
Quantâ fores felix, nolles te Roma futuram!
In te etenim pariter deſæviit advena Gejſer,
Plaga potens Latio, dominantis & helluo terræ.
Parva tamen viſa eſt rabies ſibi, perdere clade XIX.
Orbem Europæum; ſi ſtaret & Africa, ſtaret
Si Nilus, tabôq; rubram non lamberet undam.
Obſtabant maria & Syrtes; eſt impetus illas

Ire

Ire ſuper, famamq; omni miſcere profundo.
Vandala caſtra movent, Henetisq; è portubus altum
Trans mare, trans ventos, trans & migrare remotam
Claſſe parant Lybiam. Quo tunc, o frigida vultu
Arcé hoſtem è ſumma vidi, timuiq; fidelis
Antiſtes templo, comitumq; meoq; pudori!
At Veſtæ violare Lares exhorruit ipſe,
Qui nihil horrebat, Geſericus: parcere templo
Sanctum habuit; pietas ſi qua eſt differre rapinam.
Urget iter, claſſemq; Geſer collaudat ituram,
Succeſſuq; ferox, modò vela, modò æquore ſtantes,
Pyramidas ratium, malos examinat omnes.

E mediis exibat aquis brevis inſula, dici
Inſula ſi meruit, centum quæ dormiit annîs,
Et balæna exporrectô ſuper àéra dorsô
Accepit cariem tempeſtatemq; ſaburræ
Ventô actam fundôq; maris: tantâq; ſenectâ
Creverat, ut poſſet ſolidus locus area credi.
Eduxitq; rubos & gramen amabilis herbæ,
Nec dabat ulla latens fraudis veſtigia cetus.
Vandalidæ ignari, nec quidquam tale timentes,
Credebant terram, terræ ſimulacra; pyramq;
Pars illuc ſua damna ferunt, ne victima deſit
Placatura Deos maris, atq; vorabilis igne.
Ipſe aderat, flammamq; ſuî quaſi certa triumphî
Signa recognoſcens, ſpem Geſer ab igne vocatam
Concipit, & vani meditatur buſta trophæi.
Jamq; valens ignis vires ſuper extulit, atq;
Acri exundabat circùmq; infraq; calore,
Usq; intrà gelidæ deſcendens viſcera phocæ.
Excutitur ſomnô cetus; frigusq; ſoporis
Victum admiratus, ſua dum ſinè frigore membra
Sentit,

Bellua, ſub noſtris caderet data victima dextris;
Hanc & ad usq; diem, pulchræ non immemor iræ,
Retia pono mari, maris & pecus inſequor omne.
Sed redeo ad noſtrum Geſericum: Sævus ab æſtu
Naufragii, poſtquam vix ſe ſibi reddidit, intrà
Deſcendit latebras animæ, ſe conſulit; &, quo
Mota ſit ira Deûm, deliberat: ire quòd auſit
Trans mare, quòd domuit mundum, & fraudârit honore
Negnonem Raptor, quòd tanta & talia ſævus
In vetitis numeret; parvam putat eſſe recentis
Materiem pœnæ, nec, quod mereatur ab undis
Demeritum plecti, nec cûi pia parcere nolint
Numina. Dum dubitat; memori redit illico menti
Sacrilegum facinus, quo prædo turpis in aras
Sæviit; & galeam galeæq; à parte mucronem,
Arma, Jovis magnô nuper pendentia fanô,
Diripuit, cupiens alieno horrore timeri.
Pœnituit facti memorem: cupit improbus extunc
Reddere Vandalicis cultus, quos abſtulit, armis,
Atq; ſacra geminum ſuſpendere munus ab ara.
Ergo undâ Procerum, ſe ſeq; ſuperbior ipſo,
Templa petit noſtræ, fuerant quæ proxima, Veſtæ.
Probra aris, nobisq; neces inſtare Puellæ
Credidimus; profugæq; intrà ſacraria templi
Prenſamus flagrantem aram, non dedecus illi
Paſſuræ fieri, nisì fuso ſanguine ad aram.
Geſer adeſt, noſtrasq; minax SIC ALLATRAT AURES:
Pone metum Veſtale agmen; manſueſcere juſſa
Dona fero non arma manu; vel qualia munus
Arma voces, fero Dîis, & veſtræ conſecro curæ.
Arma, quibûs domui terras, meruiq; timeri
Orbe

Orbe ſuper verſo populorum terror, ab aris
Ante velut defixa volo. Si *Turpè peracto*
Eſt ſceleri pudor, & nondum fas exulat omne,
Me retro peccâſſe pudet. Manus iſta, fatemur,
Lemiſaletani ſpoliavit munere ſacro
Templa Jovis: Sanctæ exuviæ, Patriſq; vetuſtus
Vandali honor, Galea & Mucro, quàm crimine liber
Vos ego ſtare ſuper violata altaria vellem!
Veſtra ope, tot nomen peperiſſe ingentibûs ausîs,
Vandalicâq; omnes famâ conſcribere Faſtos
Quid juvat? Herôém ſi non datur ante vocari
Quàm Superis hoſtem? *Nulla eſt, quæ crimine virtꝰ*
Naſcitur: inq; ſua deformis origine, culpam
Matrem habet, & meruit cælo indignante probari.
Senſi iram Superûm, vix & caput iſtud ab undis
Naufragus eripui, monitus compeſcere bellum
Atq; ſacris dare pacem armis. Ignoſcite tela
Sacrilegis manibus: deſueta altaria vobis
Reddo; & de veſtra votum pendebitis ara.
Ut bene mens ſuadet, Veſtæ hîc ſacraria cerno
Cuſtodemq; orbis flammam: diſcedite, vana
Spes hominum, flammæ; plus o plus luminis iſta
Arma dabunt templis, & fulgure tutus aheno
Mundus erit, pacem ſi non prior oderit ipſe.
Quare agite, o Veſtæ Comites; incumbite ſacro
Cuſtodes operi; pendensq; è pegmate munus,
Non minùs ac illum, cûi fruſtra fiditis, ignem
Servate incolumes; tantum de pace futura
Promiſſuræ orbi, quantum vigilabitur iſti
Depoſito; ne non moveant mota arma tumultum.
Dixit: & ingentem gladium galeamq; comantē
Extulit, appenditq; tholo. Mox indè retrorſum

Abri-

Abripitur; placidusq; velut quæſîſſet haberi,
Jllæſa, cuneô ſeptus, diſparuit arce.
XX. Agnovi ſacrum Proavi geſtamen; & enſi
Vandale magne tuo mille oſcula, mille comanti
Libavi galeæ; DIXIq; : O Colchide quondam
Venturo promiſſa Lacho ſacra arma; favete
Cuſtodi veſtræ! neq; vos manus ulla profanet,
Nec, niſì in hæredem veniatis munera dextram.
Accelera; quæ te tenet aura incognita, Lache?
Accelera! non hæc Deus in mea littora fruſtra
Arma Deus tulerat: de Colchide forſitan iſthâc
Vela dabis Victor, teq; exſpectantia longùm
Dona feres; hoſtemq; armîs Dux advena noſtrum
Ultus Geſericum, promiſſæ regna tenebis
Vandaliæ: vovet hoc, qui Vandalus arma ſuamq;
Olim Vandaliam ceſſit tibi: nosq; precamur
Et maria & mites Superos, ſit tempus ut illud,
Ad mea quo tandem videatur littora claſſis
Lachica, & à noſtris ſua tela repoſtulet aris!
Hîs ego Vinidis, per, ſi quid vota valerent,
Orabam precibûs: nec me fortuna fefellit,
Atq; diu optatam tecum adfers Viſimir horam,
Spes o Vandaliæ, deſideriumq; Deorum!
Deſine sêu ventis, sêu, qui cecinêre ſoporem,
Cantibus iraſci; nam qui te detulit iſthuc,
Non error, Fortuna fuit. Sim necnè Parentem
Conſpectûra tuum, dubito: mala plurima ponti
(Hêu majora, iſthuc liceat quàm fortè venire!)
Detinuêre Lechum. Vice Patris te, puto, Natum
Submisêre Dii: ne, qui felicia Lecho
Arma ferat, deſit. Quin cùm ſis Principe Princeps
De Genitore ſatus, Lechus alter es, & tibi certant
Nomen

Nomen honosq; Patris; ſolus potes eſſe Paterni
Hæres Depoſiti, & dono ſervatus eidem
Dividere ex æquo munus cum Patre vel unum.
En galeam gladiumq; , novi præſagia regni;
Et Lecho invento dic, quæ tibi dicta; ſacræq;
Pignora Vandaliæ gremiô depone Paternô.
Finiit: & dextræ Viſimiri tradidit arma. XXI.
Captus amore dati Viſimirus muneris, orbem
Si daret in pretium; tantis, dubitavit, an eſſet
Par pretium donis: *Præſtem licèt omnia*, (dixit)
Æquabit tantum mea nulla ſolutio lucrum!
Quod licet in præſens, cadit ante altaria ſupplex,
Et modò Dîis humiles, modò longus in ordine ſancti
Vinidi peragit grates: quas ſupplice ſuada
Solvit ubi, dictoq; *vale*, diſcedit ab arce
Non ùt in acceſſu, ſed apertè lætus, & inter
Gaudiaq; & Proceres medius; de littore curſum
In mare præcipitat: fixus non ante labori
Parcere, quàm detur quæſito accedere Lecho.

ARGUMENTUM
Libri 3tii.

I. *LECHI claſſis, in anguſtum Iſthmici maris ſinum appellitur. Hîc Lechus, fruſtra ab Iſthmo Roſſum Libriamq; requirens, hoſtiliter excipitur. Viribûs inferior, cedit Grajis; anguſto loci ſinu fugam ratium nonnihil impediente. Clade ſua facit nomen anguſto mari.* (De Lecbeis & Czechreis Anguſtiis in mari Iſthmico; Sarn: l. 4. Ludov: Cæilius Rhodiginus f. 988.) II. *Lechus ad Iſthmum victus, in Slavoniam renavigat. Damna ſua & amiſſum Viſimirum Filium deplorat. Reperit vaſtatam ſe abſente Slavoniam. Diſcit ex Indice, Authores vaſtatæ Slavoniæ, Taſilonem Ducem, & Sigibertum Pannoniæ Regem. Aggreditur ſtratagemate Sigibertum & vincit.* (De Sigiberto & Taſilone victis à Slavis, Crom: l. 2. Guag: f. 48. Sarn:) *Idem Lechus, Slavorum præcipuos, à victis Pannonibus appellat Panos.* (Hinc juxta Sarn: l. 4. Panorum poſthac in Lechia nomen) III. *Lechus victô Sigibertô in Taſilonem movens, accipit obvium ex Vandalia legatum Ovidam, poſcentem ſuo Regi Undalo Libriam in ſponſam.* (De legatione in Slavo-

Slavoniam miſſa ex Vandalia Iſtulea, invitante Slavos, Sarn: l. 4. f. 168. inter cauſas profectionis Lechi è Slavonia) IV. *Lechus reſpondet Legato cum lacrymis, & de rapta ſibi Libria conqueritur.* V. *Legatus Ovidas narrat, vindicatam ſua ope Libriam à Raptoribus: eamq; in aula Poliæ, Matris Undali, verſari. Hanc poſcit Undalo in ſponſam, & ſimul ſuppetias contra Dagobertum, Undali hoſtem & Vandaliæ.* VI. *Lechus, ſalute Libriæ exultans, omnia Legato ad votum ſpondet ſub certis conditionibus. Præmittit Czechum cum parte copiarum in Dagobertum.* VII. *Ovidas Legatus, relicto fidei obſide, Gebericho Filio, redit in Vandaliam. Czechus in Dagobertum movet.* (De Ovida & Gebericho, Proceribus Vandalicis, Sarn: l. 4.) VIII. *Taſilo, Auſtriaſiæ Princeps, Lechum ſtratagemate circumvenit cum exercitu. Slavi nutant.* IX. *Lechus reſtaurat aciem, & vincit. Taſilo fugit.* (De Taſilone victo à Slavis, Crom: l. 2. Guag: f. 48.) X. *Lechus, Taſilonem perſequens, de ponte cadit in fluvium. Spargit fama, merſum in flumine Lechum.* XI. *Lechus è naufragio ſalvus evadit. Dantur inferiæ, cæſorum Manibus. Fluvius, à fama victoriæ & Lechi periculo,* Lechus *appellatur hactenus.* (De Lecho fluvio, Pannonas ab Alemannis dividente, Vitichindus Sa

xo: f. 113.) XII. *Nuntius Lecho ſignificat, Czechum à Dagoberti exercitu circumventum. Lechus fert Czecho ſuppetias, & vincit Dagobertum.* (De Dagoberti cum Slavis pugna, Crom: l. 2. Sarn:) XIII. *Lechus & Czechus conveniunt in acie. Fundant poſthac urbem nomine* Bremam; *quaſi à depoſito bellorum pondere Slavicè appellatam.* (De urbe Brema, à Lecho Czechoq; fundata, & appellatione ejusdem Slavica. Crom: l. 2. f. 18 Sarn: l. 4. f. 142.) XIV. *Spargit rumor. veniſſe claſſem ignotam in Daniæ portum.* XV. *Lechus expedit Geberichum in Daniæ littora, ad inquirendum de Viſimiro, cujus claſſem appuliſſe ſuſpicatur.* XVI. *Paret Geberichus. Suadet interim Lecho, ut in Lemiſaletum Vandalicum ad Fanũ Jovis pergat, ibiq; ſe præſtoletur.* XVII. *Lechus movet caſtra in Vandaliam.* XVIII. *Czechus, Frater Lechi junior, viarum laborumq; pertæſus, excuſat iter, & remanet.* (De diviſione Czechi à Lecho, futuri Authoris Boëmiæ, Crom: l. 1. c. 14. Sarn: l. 4. Neug: l. 1.) XIX. *Lechus valedicit Czecho Fratri.* XX. *Dicto* vale, *diſcedit Lechus in Vandaliam, quà Pomerella ducit in Lemiſaletum, ubi nunc Gneſna.* (De loco, ubi nunc Gneſna, antiquis *Lemiſaletum* dicto, Sarn: l. 4. de Lecho.

LIBER

LIBER III.

AD Lechum jam Muſa redi, quavè eminus illum L
Jactârit Fortuna manu, narrare memento.
Iſthmum inter bimarem, Peloponeſumq; remotam
Arctus arenoſâ ſinus albet aquaticus undâ:
Lechæas huc aura rates, huc æquoris ira
Detulit: hæſerunt anguſto in gutture puppes;
Et, ne dextrorſum raperentur nantia caſtra
Nevè ſiniſtrorſum; duplex partim inſula, partim
Colliſæ denſo fecerunt agmine naves.
Sic ego ſpectabam, cùm Vere tepente volaret
Trunca artus glacies, & vulnere labilis ipſo.
Aſt ubi in anguſti venêre cubilia fontis,
Fragmina, denſantur; cöeunt quoq; corpus in unum
Diſcordes partes: ſuffocatusq; tumultu
Alveus, egelido ligat utraq; littora ponte.
Non aliter ſpiſſo ſtetit æquore Lechica claſſis,
Seq; viamq; maris, ſpatiô concluſerat arctô.

Exule jam ſomno, properabat in Iſthmica Lechus
Littora ferre pedem: claſſem cùm turpiter orbam
Parte ſuî meliore, videt! non Viſimir usquam
Conſpicitur; Duce cumq; ſuo pars magna Sodales
Erravêre procul, trans & migrâſſe remotum
Oceanum viſi. Gemitum alto pectore rumpit
Lechus, iterq; ſuum ſtygiis prope devovet undis.
Quid? quod in Iſthmiaca nullum deprêndere Roſſum
Parte datur? Roſſumq; diu Libriamq; requirens
Lechus ab Indigenis, belli prætendere cauſam
Ignarisq; loqui peregrina vocabula viſus.
Reſponſumq; datur: *Quem Lechus vellet, ad Iſthmũ*
Veliſicâſſe retro nullum cum Virgine Roſſum,
Cûi nomen, Raptor; cûi pareat Iſthmica tellus.
Quin ignominiæ ſtimulîs accenſa Juventus
Arma capit; claſſemq; Lechi graſſatur in omnem
Ira recens Grajûm: nec, quid ſint jura quid ullæ
Hoſpitii leges, attenditur! ardet ab omni
Parté nefas, Grajiq; Slavos hoſtiliter urgent.
Attonitus novitate mali, quid Lechus & unde
Incipiat? non eſt miſero decernere promptum!
Bella in bella paret? faceret; ſi totus in armis
Siq; virûm numerô foret integer: at ſuper undas
Tempeſtate lacer, ſociîsq; & pluribûs orbus
Navibûs, hâud poterat par eſſe hoſtilibus armis.
Cedere Fortunæ, claſſemq; avertere portu,
Tutius eſt viſum: cedit; jam jamq; ruentûm
Fugiſſet rabiem, nî conjurâſſet & unà
In caput ipſa Ducis, claſſis ſua. Namq; coactæ
In cuneum naves, non de ſtatione moveri
Nec poterant vetito divellere brachia motu:
Difficiles equitare undîs, circùmq; rotari,
Sêu

Sêu fuga sêu bellum jubeat; nêutrumq; paratæ
Audivêre rates, velut ante exordia belli
Captivæ fierent, & haberent vincula cunctæ.
Interea hoſtis adeſt, & adeſt quoq; copia pugnæ,
Inq; pigris ratibus, ſolido cêu ponté, cruenta
Exoritur cædes; numerôq; potentior Iſthmus
Obruit, audaces ſola virtute, Slavones.
Jamq; omnes unà cecidiſſent cum Duce Sclavi,
Nì ſimul ipſa ſibi peperiſſent damna ſalutem.
Namq; cadaveribûs dum pinguia Roſtra laborant,
Una alias inter, premitur dum fortè virorum
Agmine cæſorum, bibit æquor amica nocendo
Puppis, & ipſa ſuum fugiendo neſcia pondus
Auxerat, inq; avidæ ventrem deſcenderat undæ.
Dum perit hæc, reliquis datur indè licentiùs uti
Liberiore via, campôq; per æquor apertô.
Mox facilem ventis, volucremq; quiete ſoluta
Abducunt claſſem, Lechoq; in bella ruenti
Dant monitus Sclavi: *Patriæ ſe ſervet; & iram*
Differat, utilibûs Grajos quæ vindicet armìs.
Aſper ad hæc Lechus: ſed vi precibûsq; ſuorum
Ex malè tentato pugnæ ſubducitur æſtu.
Deſeruit non ſponte Lechus pugnamq; locumq;,
Clade tamen celebres & nomine fecerat undas:
Nam ſinus ille maris, ſpatiô qui clauſit aquarum
Se brevium, *Lechææ Anguſtiæ*, & arcta vocatur
Janua, quòd Sclavis fuit arduus exitus illâ.
Sic illum dixêre pares Grajiq;, Slaviq;,
Pars quorum captiva fuit, ſævoq; remanſit
Littore: Quemvè Ducem pia turba amiſerat olim,
Hactenus illius conſervat in æquore nomen.
Lechus at infractus, damnîsq; animoſior ipsîs, II.

Ut leo poſt plagam meditatur fortia; quàq;
Victor eat, famæq; ultor, veſtigat arenam.
Viribus attritis latura Slavonia viſa eſt
Subſidium: petit hanc, ſed flebilis imminet illi,
Fortunamq; ſuam SIC INCREPAT: Ergo furori
Hic modus eſt Fortuna tuo, poſt vulnera mille
Sævire in miſeros, & parcere nolle peremptis?
Rapta mihi Gnata èſt; hanc & dum quæro, procellæ
Crudelisq; Iſthmos & inhoſpita littora Grajûm
Quærere poſſe negant! Quid? quòd majora Parenti
Damna ſuperveniunt? fatis mihi Viſimir iiſdem
Eripitur, nunquam non lamentabile damnum!
O Decus, o Viſimir, patriis te Numina terris
Reddiderint! videamq; Slavo præ littore ſtantem,
Tendentemq; manus, & colla Paterna petentem
Viſmirum! nam ſpero miſer, ſi ſpes mea Fili
Fortè ſupervivis, Patriam tua carbaſa versùs
Iſse, quòd in Patriam me Gnate putaveris iſſe.
Sin ità decipior, non jàm Slavonia Lecho eſt
Patria, tantorum Materq; & cauſa malorum!
Dii facite! alter abhinc nobis habitabitur orbis,
Quo valeam Gnatum Natamq; reviſere noſtram.
Sic longum ſolatur iter, ſic mitigat ægrum
Per lamenta animum; donec patuêre propinquæ
Littora Sclavoniæ: ſed non & vultus in illis
Qui fuit ante, modò eſt: ſævis ululatibûs agri
Exaudiri omnes; nigrôq; Slavonia fumô
Abdita, diſſimilis ſibi, difficilisq; videri,
Nil dabat aſpectu, Patriæ niſi triſte cadaver.
Approperant, portumq; legunt Lechusq; Czechusq;,
Dumq; rogant cauſam, diſcunt ex Indice: primus
Qui fortè è ſpecula dum cernit ab æquore notos
Adven-

Adventare Duces, decrevit & obvius ire
Nuntius, & Patriæ funeſtam edicere ſortem;
SICq; AIT: O Patrii duo fulcra ingentia cœli,
Sêu Leche te memoro, sêu Czechum nomino! veſtra
O utinam, quæ ſerò redit, non littore Sclavo
Solviſſet claſſis! terra non eſſet in iſta
Hic ſtatus, hæc Patriæ nuper florentis imago!
Non ità (ſi qua fides) noſtrûm diſcordia, quantum
Abſentes ambo Patriæ nocuiſtis, ut ipſos
Vos magìs ac Patriam delamentemur ademptos!
Nempe Auſtriaſiæ Regnator Taſilo terræ
Sclavoniam Ducibûs poſtquam cognoverat orbam,
Tempus & eſſe ratus, quo per civilia bella
Exhauſti, facili fieremus præda rapinæ;
Bella movet, veſtrasq; ferox depauperat urbes,
Urbibus & Slavis contermina quæq;. Nec unus
Hoc audet Taſilo: prædam conjurat in unam
Pannoniæ qui frena regit Sigibertus: & idem
Sclavoniæ vaſtat latus alterum & altera membra,
Durus & immanis; qui cum Taſilone coactam
Sclavoniæ prædam modò dividit. Hoc ſpeculamur
Rupibus ex altis ſylvisq; & montibus; illo
Quos fuga naufragio nondum permiſerat hauſtos.
Et ſumus hi, quorum ſi viribûs uteris, hoſtem
Imus in adverſum: virtus non concidit omnis,
Et tandem nos eſſe Slavos reminiſcimur! *Ipſæ*
Dant animos clades Heroibus. Ire paratis
Dux modò non deſis, dabitur te Vindice felix
Impetus audendi; latebramq; exoſus inermem
Audebit Sclavus non deſperare ſalutem.
Nondum deſierat; cùm ſparsîs undiq; turmîs
Plebs ruit, atq; Duces ſublata voce ſalutans

Narrat

Narrat idem & poſcit, quodcunq; popoſcerat alter.
Ingemuit cum Fratre Lechus; graviumq; malorũ
Intuitu, tanquam conſpectu Gorgonis, hæſit.
Quaq; ſuus Slavûmq; dolor miteſceret, artem
Invenit hâud aliam, quàm fortiter ultima raptô
Audendi ferrô; vinci sêu vincere detur.
Mille ter ex aliis legit agmina; vivida quorum
Tamq; ſubire potens quàm ferre pericula virtus.
Tempus erat, quo ſol metâ diſtabat utrâq;
Æqualis mediusq; polô. Sigibertus opimæ
Securus prædæ, tergoq; incumbere nulla
Prælia formidans, feſſis dabat otia caſtris.
Ecce improviſo ruit agmine Lechus; & irâ
Fulmineus, penetratq; acies, turbatq; feritq;
Pannonas obſtantes. Non eſt edicere promptum
Quot dedit ipſe neci, ſtratisq; impleverit omnem
Corporibûs campum! dum, quos nec cauſa nec ordo
Fecerat audaces, juſtæ Lechus immolat iræ.
Enſe cadit Sigibert; & adhuc audere volentes
Pannonas, objecta confundit imagine cædis
Ipſe ſuæ. Fugiunt, ſpoliis poſt terga relictis.
Parta dein Sclavis poſtquam victoria plauſu
Inſonuit, fuſusq; oculis evanuit hoſtis;
Feſta per ora Virûm Lechus volat; unus & eſſe
Clamatur, Patriæ qui ſit Vindexq; Paterq;,
Talis & aſtra ſuper ſcribatur, & ære perennet.
Jlle nec elatus, *Nec tunc minùs eſſe timendum,*
Dum favet, edoctus, *Fortunam*; laude coërcet
Hac potiùs mentem, ne laude ſuperbiat ulla.
Non tamen & prorſus famam contemnere pergit,
Quin ratus egregiæ virtuti nomen habendum,
Appellat Comites æterno nomine *Panos*;

Panno-

Pannonibus victis ſpolii quod nobilis inſtar
Eripuit, fecitq; ævô clareſcere noſtrô.
Inſuper & gnarus, quantum valet impete primo
Flamma manusq; ſemel victrix; movet agmina, contra
Sæve tuas Taſilo vires: turmîsq; ſuorum
Paulatim creſcens, poterat contemnere belli
Furta, hoſtemq; armîs invadere Lechus apertîs.
Fervidus it, pugnæq; moras accuſat; & hoſtem
Diſtantem queritur, quò plus vicinior hoſtis.
Talem illum tantumq;, animîs curſuq; calentem, III.
Orbe peregrino veniens Legatus Ovidas
Obvius accepit: qui ſtemmate pacis inumbrans
Seq; caputq; Oleâ; magnum non diſtulit ante
Procubuiſſe Lechum, cauſamq; Hac EDERE Suada:
Terrarum Regumq; ſalus o plurima ſalve
Leche, Tyrannorum Domitor! te maxima qualem
Fama canit populis, ipſo non Marte minorem
Nec niſi Achillæo dignandum nomine; talem
Te ſupplex veneror; plus & quàm ſparſit *Iniquus*
Detractor laudis rumor, te Principe coram
Contuor; ipſa Ducem dum latiùs acta loquuntur.
Viciſti! & factîs ingentibûs usq; remotos
Egreſſus fines, penetrâſti cordis in arcem
Dulcis amicitiæ Regum, quêis noſceris abſens.
Arma tuis ſociare armis, pacemq; tueri
Fœdere communi, ſanctum licèt arbitror eſſe,
Eſſe parum reputat Rex Undalus; arctiùs illo
Fœdere, nî tibi ſit junctus quoq; ſanguine Princeps.
Vandalia ex magna, cûi Undalus imperat omni,
Legatus venio. Noſtri, vis nôſſe, quid affert
Summa miniſterii? Socerum te poſtulat ingens
Undalus eſſe ſuum: quæq; anteit unica cunctas
Quamq;

Quamq; vocas aurĕo Libriæ cognomine Natam
Poſcit in Uxorem, Lechi Gener indè vocandus.
Utriusq; Throni poteritnè auguſtiùs unquam
Creſcere Majeſtas, quàm ſi duo maxima regna
In conſanguineum conjurent fœdere pignus?
Rebus at o quantùm decus hoc erit utile veſtris?
Nil non auſurus tremet hoſtis, & horridus ante
Sponte jugum accipiet; veritusq; laceſſere Regum
Vim geminam; occurret nusquam nisì ſupplice vultu.
Ergo age; quodq; vales, in connubialia jura
Aſſere Libriam; ſpe nec fraudatus inani,
Vandaliæ Regum Proavus patiare vocari.

IV. Vix ea Legatus: Lacrymis tum Lechus obortis:
Libriæ, venerande Senex, quid nomina (dixit)
Ingeris? o noſtræ, nondum coaleſcere viſæ,
Parce cicatrici! nam recrudeſcere pergit,
Dum poſcis, quod abeſt, miſeris illudere doctus!
Rapta mihi Gnata eſt Roſſo prædone; nec ullâ
Parte reperta mihi, mea, ſed jam non mea poſthac
Libria! me miſerum! Cùm diceret: ora gementis
Impediit cum voce dolor, tenuitq; ſilentem.

V. Occupat extemplò, lætusq; EXCLAMAT OVIDAS:
Mitte queri Princeps! tua Filia vivit; & inter
Vandalicas colitur quaſi caſta Diana Puellas.
Ut tamen in noſtras illæſa advenerit oras,
Diſcere fortè voles? (*Age dic*, Lechus inquit, *Ovida:*
Cumq; oculis omnem defixit in hoſpite vultum)
Diſce, (AIT ORATOR) parvū neq; ducito, quòd me
Vindice, Raptoris non Libria ſervit amori.
Ut memini, non totus abhinc evolvitur annus,
Cùm fera Vandaliam lacerarent undiq; bella:
Totq; malis, cum Matre Puer non Undalus ullum,

Quo

Quo poſſet par eſſe, modum deprênderat. Ergo
Mittimur huc; nobis ut nota potentia Slavûm
Cumq; Lecho Duce ſuppetias non impigra ferret.
Ibam, vota ferens & munera! Slava ſed ante
Limina dum venio, (proh! quis ſperâſſet?) eodem
Sclavoniam raptam fumare hoſtiliter igne
Aſpicio! nec opem petii, cùm Slavus egeret!
Tu quoq; qui Sclavas noſtrasq; avertere clades
Dux poſſes, aberas: quærendæ vana cupido
Te Gnatæ rapuit; fruſtraq; emenſus aquarum
Immenſas hyemes, cùm nullus in æquore Roſſus
Libria nulla foret, ventum toto æquore & umbram
Quærere viſus eras. Sed quæ te luſerat undîs
Non me etiam; vicibûsq; alternîs hoſtica Lecho,
In noſtras Fortuna manus ultronea venit.
Juſſus opem Slavûm nam deſperare, priori
Dum reducem me reddo viæ; volat obvius ecce
Luce ſubobſcura nemorisq; à parte ſiniſtri
Currus agens prædam, comitante nec ampliùs uno
Currum equite aût alio. Sed (quod ſolet eſſe peracti
Ingenium ſceleris) ſolito non calle viarum
Pergunt, nec curant audire & reddere, *ſalve;*
Nec quenquam poſſunt oculîs advertere rectîs!
Cùm nihil auderent, ſcelus objurgante pudore,
Declinant furtim, trepidiq; ac ordine nullo
Transuerſam rapuêre viam, latebrasq; petebant.
Nec longum noviſſe nefas: quippe eſſeda ſupra
Cernere erat triſti religatam fune Puellam!
Ingenuas quæ ſciſſa comas & languida luctu,
Vix ubi me vidit, ſpatio conclamat eodem:
Quisquis es, hêu miſereſce mei! raptamq; Puellam
Eripe carnifici! furtô auferor, inq; nefandi

Neſcio

Neſcio quam ſcenam trahor o invita theatri!
Motus eram precibûs; ſociîsq; ferentibûs arma
Ocyter accurro. Sed qui enſe retunderet enſem,
Nullus erat: ſparſim petière ergaſtula ſylvæ
Raptores, furtiq; ſuus non conſtitit Author;
Sola tremens & inops & deplorata remanſit
Spemq; metumq; inter, me defenſore, Puella.
Quam ſuper intendens: *O Virgo miſerrima*, dixi,
Quale tibi nomen? quæ Patria? cujus & auſu
Sis captiva? doce. Nomen mihi Libria, (DIXIT)
Sclavoniæ natale ſolum, Genitore creatâ
Sum Duce de Lecho. Patri me fraude cruentus
Abſtulit hic idem, qui vos modò fugerat hoſtis,
Te Patrem ratus eſſe meum. Nec fallitur audax
Hiſtrio; teq; mei dignabor amore Parentis,
Si modò defenſam, de te quæ vivere rurſum
Incipio, reddis, cûi ſum ſurrepta, Parenti!
Hæc ait: & noſtris conata accumbere plantis,
Moverat adſtrictas, hêu compedis immemor, ulnas!
Erubui: *Solvatq; aliquis data vincula;* dixi:
Ipſe etiam flentem flens libero reſte Puellam,
ADJICIOq; DOLENS: Cùm ſis ope libera noſtrâ,
Ex aliis alias quid rurſum incurrere calles
Virgo petis? placet Jllirium, nativaq; terra,
Mœrentisq; Lechi facies: non dulcius iſtis
Quidquam poſſe peti, fateor: nî ſæva negaret
Hìs etiam Fortuna frui. Verùm omnia contra
Eveniunt! longèq; aliud me teſte recenti,
Quàm quod Virgo putas, diſces: Slavonia tota
Bellô ardet, priſci cinis & vera umbra nitoris!
Lechus abeſt; Gnatamq; ſuam ſpe luſus inani
Per freta per Syrtes, nec quærere deſinit omnî,
Quà

Quà patet, Oceanô. Lechonè abſente redibis
Ad Slavos ſoſpes? *Quantus (proh Jupiter!) error,*
Nondum victo uno, prênſare pericula centum!
Dum licet, in tutas (tibi quas monſtravero) mecum
Vade celer terras; Patriamq; ah veriùs hoſtem
Dediſce interea! dextro dum Numine tandem
Fama ferat, magnum rediiſſe ad littora Lechum!

Hæc ego. Conſultis grates agit illa, ſimulq;
Paret adhortanti, mecumq; incognita fines
Intrat Vandalicos. Sed quod tamen ipſa volebat,
Non licuit, latuiſſe diu. Nam maxima Præſes
Vandalicî Regina thronî, tuaq; Undale creſcens
Quæ regnat Polia Parens, rem protinus omnem
Edidicit; citraq; moras in Principis aulæ
Admovit gremium, cêu Mater vera, Libriam:
Et Gnatæ putat eſſe locô, virtutibûs aurêis
Quam ſibi miratur non degenerare Puellam.
Virginis egregiæ tunc ſenſim captus amore
Undalus, imperii Princeps Natusq; Poliæ,
Fœdus amoris amat, thalamosq; jugare perennes
Fixus habet, conjuxq; tuæ cupit eſſe Libriæ.

Orator venio cauſæ tam nobilis; ex quo
Te reducem oceanô, victriciaq; arma ferentem
Non levis ad noſtras præmiſit nuntius aures.
Ergo age; & Undalicos non dedignatus amores
Vota proba; Regiq; meo Socer indè futurus,
Ut ſit & ille Gener, ſponde Leche maxime Natam.
Ipſe etiam noſtra præſens, vellemus, adeſſes
Regnatrice aula; venerandus ut hoſpite ſceptro
Jlluſtres Hymenæon, innubisq; diei
Solennes capere illecebras aût addere poſſis.
Sin minùs, atq; alium te diſtrahit hoſtis in orbem,

Divi-

Divide cor anceps, partemq; adverte petitis.
Auxiliare agmen, ſævi tentamina contra
Oramus Dagoberti; qui Regnator & hæres
Almanæ Gentis, Marti non parcit iniquo,
Nosq; alio ex aliis vexat ferus advena bellò.
Indixitq; etiam: *Redimenda pacis amore*
Nì damus in pretium peregrina gente Puellam
Nomine Libriam; nos ultima quæq; manere.
Cùmq; negaremus: Furialia protulit arma,
Et parat hanc ipſam poſitìs circumdare caſtrìs,
Quam tua Nata habitat, rurſum miſerabilis, arcem.
Collige; cùi armìs, o Hercule fortior, ibis
Acer in auxilium? nobis, Libriænè, tibinè
Præſtiteris Lechus, talem ſi viceris hoſtem?
Non dubito, facies: quod & auguror, hoſte perempto,
Aſſertamq; omniq; tuam jam parte Libriam
Undalo anhelanti ſociabis fœdere Nuptam.
Et tua non mercede ſuà benefacta carebunt:
Undalus in pretium tecum ſibi dividit omne,
Quà patet, imperium; *Lemiſaletiq;* potentis
Dignaq; Rege Lecho cedit me interprete regna.
VI. Finiit. At Lecho per gaudia deficienti
Non vox, non animus, nec erat, quæ proderet extra
Lætitiæ molem, facundia! verba negabat
Pugna diu, plauſus inter veteremq; dolorem.
Vixq; ſuo tandem Lecho VOX EXCIDIT: Ergo
Tot lacrymìs defleta diu, quæſitaq; fruſtra
Per mare per terras, tandem mihi Nata reperta eſt!
At non conſpectu fruor illius? & ſua noſtrò,
O dilecta Patri, non pendent brachia collò?
Mœror abi! nomen ſatìs eſt audìſſe Libriæ,
Naufragiòq; velut caput oſtendiſſe Puellam!
At

Vandaliæ Regi fas ut mea Filia nubat;
Non priùs ac præſens adero: Fideiq; recentis
Sic interpoſitæ, munimen in obſide poſco.
VII. Dixerat. At mentis ſibi non incertus Ovidas,
Lechæo lateri Geberichum admovit; &: Hæc ſunt
Pignora pactorum, mihi Natus amabilis, INQUIT,
Maxima ſpes Geberich, noſtrî quoq; Filius idem;
Obſes erit fidei, ſancitorumq; ſequeſter,
Usq;, in Vandalicis dum Leche videbere terris.
Nec mora: diſcedunt pariter, Legatus Ovidas,
Quivè Dagobertum contra, movet agmina Czechus:
Adjectoq; *vale*, quò quemq; vocabat agendi
Cura miniſterii, factîs complexibûs itur.
VIII. Jam pridem Taſilo, famæ creſcentis ab ore,
Lechæâ deleta manu Sigibertica caſtra
Edidicit; ſceleriq; ſuo, mercedis eandem
Quà nece quà bellîs quà probrô incumbere ſortem
Credidit: & quàmvis mutilum Czechi agmine Lechū
Reſciit, ac hoſti caſtrìs non integra ſtare
Robora; diviſum timuit tamen. Integer (INQUIT)
Pectore ſit, *Mutilus terret Leo; nigraq; nubes*
Promittit magìs horribilem, dum ſcinditur, ignem.
Ingeniô utendum, Comites: tenebrîsq; vocatîs
Auxilio, ſera nocte aggrediamur, oportet,
Victorem Lechum. Paretis? an improbus ille
Exſpectandus erit? *Fortunæ occurrere neſcit*
Qui prior ante ſuæ, non eſt (me Judice) dignus
Quem Fortuna juvet: *petit hæc reverenter haberi.*
Conſpirate animîs: neq; vos deterreat audax
In ſua fata latro; cûi ſi concurrere tutum
Luce palàm non eſt, confusæ fraudibûs uti
Depudeat noctis; ſcelus hoc laudem inter habetur.
Fidite,

Fidite, vincemus! vel ſi vincemur ab illo,
Nox teget opprobrium; pugnaq; feremus ab iſta
Nonniſi dedecoris ſolam (quod abominor) umbram.
Plura nec effatus, poſtquam cognoverat omnes
Et frendere viros, & pugnæ ardore calere,
Arma movet, ſpatiôq; brevî datur impetus armis.
Nox erat: irrumpunt caſtrorum Leche tuorum
Immani feritate latus, feriuntq; ruuntq;
Incenduntq; etiam tentoria. Vulnerat aures
Ipſe virûm ferriq; fragor; velut eſſet imago
Captæ urbis, rurſumvè arderent Pergama flammîs.
Quid multîs? Slavonum aliqui fracti impete primo
Deſeruêre locum; ſtationem cominùs enſe
Defendunt alii; ſed & hos langueſcere ſenſim,
Nec virtute, pudore fugæ perſiſtere credas.
Non eadem mens indè Duci: diſcrimine tanto IX.
Et Lechus & Geberich, & qui meruêre ſub iſtis
Intremuêre nihil. Quin per compendia velox
Vix tulerat rumor, nocturno caſtra tumultu
Atq; laborantes nutare ſub hoſte manîplos;
Agmine *Panorum* ſeptus volat obvius ex tunc
Inſtauratq; aciem, Slavûmq; recalfacit iras
Multus ubiq; Lechus; mediosq; per horridus enſes
Vênit ubi, audendi quà fertilis area; vires
Advocat in vires, & fulmine detonat omni:
Vulnera, terroremq;, necesq;, hominumq; ruinas
Diſpenſat per utrumq; latus; premit, ejicit, inſtat;
Cornipedisq; ſuîq; magìs celer impete, quosdam
Aggreſſu exanimat primo; longèq; timendus
Non vitandum aliis promittit acinace funus.
Continuò Fortuna, rotæ verſatilis orbem
Quem tenuit ſupra, verſum libraverat infra.

Alterno veluti pila tunſa retunditur ictu,
Rejicitur Taſilo; victoq; ſimillimus hoſpes
Qui modò terrebat, timet ipſe, minaſq; reſorbet.
Rurſum agit, ùt potis eſt; rurſum cadit irrita virtus:
Atq; iterum à caſu (tu cêu Antæe) rebellat.
Semilacer quàmvis Taſilo, comitumq; ſuorum
Jam prope de numero ſolus; tamen aſper amore
Succeſsûs primî, redit ut reſtauret eundem;
Nec, quo ſit, videt ipſe, ſtatu: nox fecerat, ut non
Se lacerum, cæſos comites, profugosq; videret.
Mane rubeſcebat, Tasilo cùm perdita tandem
Omnia conſpexit: viſi dare terga Sodales,
Terga dediſſe alii; plures per vulnera mille
Exhalare animam, ſociisq; optare peremptis,
Ne probro vivant, funus perniciter addi.
Ingemuit! primaq; acie paulò ante ſuperbum
Pœnituit virtutis; cûi, *Temeraria*, nomen
Fecerat ambitione iræ. Breve robur in armis
Labe fugæ emendat, per & adverſantia tela
Quà poterat, præceps elabitur: hâud aliud quàm
Magnæ ignominiæ referens ſpoliumq; pudoris.
X. Pons occurrebat, ſpatioſo deſuper alvêo
Impendens, carie putris, nec pondera ferre
Magna potens; oneriq; fuit ſibi machina nutans,
Quemlibet ad motum trepidans, cêu tempore quovis
Naufragium formidaret ſeniiq; ruinam.
Hâc fugere, & miſsîs Taſilonem flectere frenîs
Dum Lechus obſervat, comitantibûs undiq; Slavîs,
Igneus inſequitur. Sed prò! *Quàm ſæpè ſit, ut vel
Iſta eadem noceant, modò quæ prodeſſe videntur!
Integra ſors nulla eſt.* Medio vix ponte receptus
Hêu! fato Lechus pænè omnia perdidit uno!
Namq;

Namq; catervatim dum fabrica pontis ab omni
Parte Slavos recipit, viſa eſt deſcendere ſenſim,
Mox fugere, & versîs à cardine fundamentîs,
Putre pavimentum trabium, Atlantesq; columnas
Cum Duce cumq; Slavis avidas effudit in undas!
Adſtitit, inq; Lechum fatîs fluvialibûs hauſtum
SIC AIT INSULTANS TASILO: Bibe ſævus & iſtas
Et nigræ Stygis, Hoſpes, aquas: ſat ſanguinis hauſtũ eſt;
I, bibe Cocyti latices, & dilue crimen.
Gaudeo me victum, tua ſi victoria tanti
Ut pereas; abeamq; tuæ, latro improbe, cædis
Obtutu plenus: pugnam cum laude peregi, &
Dummodo te ſuperem fugiendo, vince cadendo.
Nec mora: cêu veheret centum poſt terga triumphos
Arduus & plaudens & ſe prope celſior ibat
Transfuga, relliquias comitum quà viderat îſſe
Orbis & arrectas rumore impleverat aures:
Victores victos; Lechumq; à fluctibus hauſtum.
Res ea præcipuè Sclavos percuſſit acerbo XI.
Vulnere: dant gemitum, ſimilesq; per omnia victis,
Huc, veluti fugerent, trepidi ſparguntur & illuc.
Hic ſub aquas, laturus opem, ruit; ille prehenſa
Nat trabe, lintre alter; vox omnibus una: *Fer umbrã*
Leche tuî! vel ubi lateas, loquere indice dextra!
Dumq; illos clamorq; vagus, miſtusq; timori
Raptat amor, (dictu mirabile) Lechus ab imo
Extulit amne caput, manuumq; pedumq; vocatô
Remigiô, primâ feſſus conſedit arenâ.
Ut vidêre Ducem: *Lechus o! Lechus!* undiq; clamant,
Certatimq; ruunt, ſua gaudia quisq; refusîs
Teſtatus lacrymîs; reduces ex amne putares,

Uſq; adeò fletu maduêre in gaudia largo.
Indè triumphantem duo poſt diſcrimina Lechū
Littore deducunt; avidi reſcindere palmam
Si qua ſecuta hoſtem eſt, rapiente voragine Lechum.
Hoſtis nullus erat: trepido fuga prima tumultu
Abſtulit adverſas acies, camposq; retexit.
Continuò ſparsîs patuêre cadavera truncîs,
Quêis ſævus Mars texit agros & littus utrumq;.
Viſum erat inferias dare Manibus: agger in altum
Arboreus ſtruitur; certatim cæſa virorum
Corpora, & exanimes, ùt ſors dedit, eminus artus
Componunt, jaciuntq; faces; juſtisq; parandis
Eſt datus ille dies: ne non placabilis ulla
Aût mercedis egens ſinè honore recederet Umbra.
Eſt & aquis delatus honos; quodq; unda fidelis
Servâſſet Lechum, pretium memorabile facti
Neptuno datur, aurato cæſa hoſtia cornu.
At modò qui fuerat ſinè honore & nomine rivus,
A Duce ſervato nomen capit: Agmina *Lechum*
Dixerunt fluvium, Indigenæ dixêre frequentes,
Quemvè modò qualemq; vocant; ut dêinde futuræ
Ætates nôſſent elementa per omnia Lechum,
Ac omni legerent unda indelebile nomen.

XII. Dum tamen hæc Sclavos ſolennia feſta morantur,
Angit cura Lechum, juſſusq; ſub Axe remoto
Bellorum tentare vices Czechus. *Ullanè Fratri
Certa ſalus? quonam ille loco, quovè hoſte reperto
Miles agat? Victornè retro, victusnè feretur?*
Nec dubio mora longa fuit. Citus advolat, &, quæ
Geſta fuêre, docet, tremebundo Nuntius ore:
*Imparibûs Czechum concurrere viribûs, & jam
Deſerta ceſſiſſe acie, clauſumq; teneri*

Infe-

Infeſtis Dagoberti armis: ni protinus adſint
Suppetiæ, & comitum properata examina Slavûm,
Poſſe etiam fugere obſeſſis poſt cuncta negandum.

Ex tunc caſtra rapit, præitq; ſequacibus ultro
Marte calens Lechus; cùmq; Axem ſextus obire
Inciperet Titan, Lechus hoſti tempore eodem
Improviſus adeſt. Dagobertica caſtra parumper
Armaq; ſuſpenduntq; animos, primòq; putatur
Non inimica manus: ſed ubi ſtricto enſe ruentem
Hoſpitem, & actutùm caſtrorum irrumpere muros
Conſpexêre; ſuo tunc quisquis in agmine primus
Fortior, erumpunt; qualisq; ſit impete fluctus
Venturis quando obſtat aquis, vim viq; repellit,
Talis in adverſum Dagoberte audacior hoſtem
Ibas, irâ ardens, & cæcus amore triumphi.
Non ità colliſîs ruit imber & aſpera grando
Nubibûs, ùt ſævæ ſub prima exordia pugnæ,
Alternæ ſonuêre manus, alternaq; tela,
Et nullus ſinè morte ictus: fervere putares
Prælia, præcipitem terris factura ruinam.
Tantus eos necis urit amor, violentia tanta!

Hærentem caſtrîs, formidantemq; ſuprema
Eminus admonuit Czechum fragor: auxiliarem
Agnoſcit cum Fratre manum, Slavosq; manîplos.
Lechus adeſt, conclamat, *adeſt!* nec plura: ſuorum
Effunditq; acies, tergumq; intercipit hoſti,
Aggrediturq; aggreſſores, ac diſtrahit arma
Infelix Dagoberte tua; ignaviq; timoris
Si quod erat nuper, delet breve dedecus armîs.
Clauſus utrinq; fremit Dagobertus, & inter inanes
Igneſcens furias, ruit acer, ubi agmina fervent
Maxima, ubi tonitrus & plurima mortis imago;

Fruſtra audax fortisq; diu: rareſcere tandem
Cernit utrinq; ſuos, & de tot millibus, unum
Se prope reſtantem: fugit ipſe, & vulnere tardus
Ægrè impendenti ſe ſe improbus eripit hoſti.

XIII. Succedunt campo, Lechus hinc, Czechus indè, viciſſimq;
Occurrunt: nigro ſed pulvere nubilus àër
Fraternas acies noſci vetat. Ut tamen ore
Teſſera communis reſpondit, amantia collô
Brachia ſuſpendunt, & mutua gaudia miſcent.
Tunc ſpoliis Dagoberte tuis caſtrisq; potiti
Victores abeunt, quà plurimus amne Viſurgus
In mare Germanum deſcendit: ibi agmina latè
Feſſa locant, numerantq; actam poſt prælia prædam.
Nulla fuit Ducibus major victoria Slavis:
Grande recognoſcunt onus, ac, ne tanta laboris
Non vivant monumenta, timent. Mens omnibus una.
Ædificare urbem titulo victore laborum,
Ut ſua poſt curas habeant reſpiria honorem.
Ædificant Urbem, Viſurgi littora ſupra,
Tectaq; multiplicant, turresq;, & mœnia, & arces;
Atq; à depoſito bellorum pondere, Nomen
Breme urbi faciunt, Slavæ quod Syllaba linguæ
Hâud modicum deſignat onus, molisq; tumorem.
Crevit opus longo conamine; quale repertis
Eſſe videbatur non prorſus inutile regnis.

XIV. Ecce autem ignotas mirata ſub àëre turres
Fama, novam viſura urbem prætervolat; atq;
Non exſpectatis Sclavos rumoribûs implet:
Claſſem armis opibûsq; gravem, nec nomine noto,
In Daniæ portum penetrâſſe: ſed unde veniret
Quove Duce? ignotum. Danis ſæva indè timeri
Omnia

Omnia, ceu videant peregrinum in limine bellum.

Aure avida Lechus famâ accipit, ATQ; ITA secû: XV.
Hêu quibus à terris & Dux & cum Duce miles
Hoſpes adeſt? Viſimirnè meus, tot menſus aquarum
Devia, ſub Danico defixit littore claſſem?
Vana ſit iſta Patri fiducia; *Quod tamen optant*
Explorant miſeri; minuit ſpes ipſa dolorem!

Sic ait; & ſtantem Geberichum amplexus: Abunde
Nota mihi (DIXIT) tua, nec violabilis unquam
Geberiche fides: non eſt cur, Optime, non eſt,
Arcani lateant te vota abſcondita noſtri.
Credere momentum tibi grande paramus; ut omni
Explores Dania, Viſimiri nomina noſtri:
Hic mihi quondam aliàs immanè furentibûs Auſtrîs
Ereptus, vario fortè hactenus errat in orbe!
Vade age, namq; potes! quis enim te doctior, oras
Nôſſe Danas, aût Vandalicis contermina regnis
Regna? potes ſolus, quantum non poſſumus omnes.
Tum verò, ùt Danicæ fiet tibi copia terræ,
Quære Ducis nomen; quis & ille noviſſimus Heros
Appulit, atq; Dana claſſem defixit arena?
Unde rates? Viſimirnè illas à Colchide duxit?
Tutus abi: meq; invenies aût littora ſupra
Balthidis; aût (quoniam reminiſcor fœdus Ovidæ)
Vandalia in magna, veſtræq; in cardine terræ.

Imò velim (REDDIT GEBERICH) non ſegniter XVI.
ex tunc.
Vandala regna adeas: placare altaria Divûm
Si bene ſuaſit amor, Natumq; repoſcere ſalvum;
Nulla tuîs citiûs vincentur Numina votîs
Lemiſaletanas quàm quæ ſtant culta per aras.
Delubrum Jovis eſt; vacuas Mortalibus ægris

Unde

Unde nefas retro ire preces, donîsq; carere.
Huc, age, verte gradus; & me tibi partibûs illîs
Geberichum ſponde reducem, ſperata ferentem.
Dixerat. Indè nihil Lechi mandata moratus,
Cymbam poſcit ovans: cymba breviore receptus,
Et comitum clauſus numerô vagus erro duorum,
Navigat, ac Daniam versùs cita carbaſa vertit.
XVII. Geberichi abitu, currus, carpenta, quadrigas,
Apta viæ Lechus jubet omnia: luce ſequenti
Versùs Vandaliam Slavo cum milite iturus.
XVIII. Non eadem Fratri mens; pertæſusq; laborum
Atq; viæ Czechus lacrymîs Sic FATUR OBORTIS:
Quid juvat excelſæ ſudâſſe in mœnia Bremæ,
Si poſitum fuga damnat opus? magninè laboris
Authorem pudet, & ſua viſcera Conditor odit?
Urbem deſerimus Regesq; urbisq; Parentes?
Nempe damus, quod cæde ſua quod cladibûs emptũ
Hoſtis amet victus; Victorum nata labore
Creſcere regna ſibi, ſpeciemq; referre trophæi!
Cur non Sclavonici petitur tibi Patria regni
Leche, fugisq; ultro natale repoſcere cœlum?
Non ità: Vandalicas ſed mens tibi viſere terras,
Et libare oculô deprênſæ gaudia Prolis.
Spes utinam non vana foret! verùm exul & anceps
Incertusq; lucri (Vates ſim falſus) abibis!
At quoniam errandi manet irrevocabile votum,
Perge vagos luſtrare orbes, o chare! nec ulla
Regna Lechum ignorent. Me jam fregêre laborum
Tædia, diſplicuêre viæ: par hiſcè ferendis
Nemo, Lechum præter; quo me dixiſſe minorem
Non pudet, etſi annos non ſortirere priores.
Vellem equidem comes ire, metusq; & diſcere curas,
Fortu-

Fortunamq́, Lechi, quæcunq; ea, ferre patiq;,
Ac unà tecum cineres miſcere ſupremos:
Dîis aliter viſum! *Non hinc abſcedere, nec me*
Ire Lecho comitem (ſi ſunt mea ſomnia vera)
Jupiter admonuit; minitans, *niſi pareo*, pœnas.
Quare age, meq; datâ concede ſeneſcere terrâ,
Si potes; & memorem noſtrî non exue mentem.
Quò te cunq; feres, te tædia noſtra ſequentur
Et Fraternus amor. Tum, ſi quæ ſanguine noſtro
Poſteritas, venientq; Czechi de nomine Gentes,
Vivet amor Fratrum: moriens mea regna docebo:
Eſſe illis Lechum Patruum, Fratresq́; Lechitas!
Dicebat: gemitus verba ulteriora diremit.

Tunc nec opinato turbatus pectora motu XIX.
Lechus AIT: Menè indecorem, te ſoſpite, Frater
Dimittis? nunc exul ego, nunc omnium egenus
Te ſinè! jacturasq́; ſuper jactura priores
Czechus eris, plorande diu! namq; ire poteſtas
Nulla mihi in Slavas regiones: odimus ambo
Damnatosq; Lares & diſcordantia regna.
Quòvè iterum comes ire mihi Germane gravaris,
Fixum eſt ire Lecho, dilectæq; ora tueri
Libriæ, oblatisq́; hæredem accedere regnis.
Et poteram felix ſancita capeſſere, nî tu
Eſſe vias dulces, ablato Fratre, vetares.
Verùm agis, atq; preces & inexorabile mentis
Urges propoſitum. Fac ò miſerande! tuasq;
Lætus habe terras, & felix regna gubernes.
Sim minùs, oro, nocens; hæc quòd divortia Fratrum
Non prior ipſe velim: *Decreſcit culpa ſequendo.*
Jamq; vale, o animæ pars & vita altera noſtræ!
Aſpiciamnè tuos iterum chariſſime vultus?

Com-

Complectarnè iterum? certè mihi tempore quovis
In mentem venies, ſimul & narrabere Frater.
XX. Vix ea finierat: complexibûs indè levatìs
Brachia ſuſpendunt, merguntq; in pectore pectus,
Hêu nunquam coituri iterum Lechusq; Czechusq;!
Ingeminantq;, *vale;* quàmvis abeuntibus obſtet
Cor ab amore pigrum: quantum ſinit aura locusq;
Accipiunt redduntq;, *vale*! Si vocis ademit
Longior aura uſum, nutuq; oculìsq; loquuntur.
Diſcedunt lenti: remanet Czechus Incola Bremæ,
Pluribus æternùm facturus nomina terrìs.
Indè Lechus ſua caſtra movet, peditesq;, equitesq;,
Currusq; & ſparſim turbæ agmina longa minoris:
Quàq; jacet, campumq; maris Pomerella ſubintrat,
Hàc Lechus declinat iter: ſed ſæpè reflexìs
Retro oculìs vultuq; redit, greſſumq; moratur;
Supremumq; *vale* datur hinc & redditur illinc:
Deſertus donec primùm decreſcere Frater,
Ac tandem ex oculis ſenſim vaneſcere viſus.

ARGUMENTUM Libri 4ti.

I. *Magaſervæ furor, adveniente Lecho in Vandaliam; & Servitutis deſcriptio.* (De adventu Lechi in Vandaliam annô Dñi 550. Crom: l. 1. & 2. Neug: l. 1. Sarn: l. 4. Dominic: Rubeis in Tab: Chron: Regum: Pol: Ines: in Lech:) II. *Diridanus Veneficus, Lemiſaletani templi prædator, Lecho inſidiatur.* III. *Lechus, poſitîs ad Vandaliæ fines caſtrîs, ſylvam ſolitarius perambulat. Intercipitur à prædonibus, eorumq; Duce Diridano venefico, & præſtigiîs circumvenitur.* IV. *Diridanus, ſucceſſu lætus, præmittit epiſtolam Fratri Lago, in Daniæ littora, per unum ex aſſeclis. Idem incautus, clypei è templo rapti effigiem confert cum Lecho.* V. *Lechus, ſibi redditus, & à faſcino liber, obtruncat Diridanum. Vindicat Depoſitum, à prædonibus è templo Lemiſaleti raptum. Defert idem Depoſitum ad Fanum Jovis Lemiſaletani; quò ab Indigenis deducitur.* VI. *Locus Lemiſaleti* (ubi nunc Gneſna juxta Sarn: l. 4.) *breviter deſcribitur. Regina Lemiſaleti tunc præſens, obviat Lecho hoſpiti. Gratias illi habet pro vindicato Depoſito: & poſcentem hoſpitem templo inducit.* VII. *E templo Regiam*

giam petunt, Regina cum Hoſpite. Poſcitur Hoſpes Lechus, ut doceat, qui ſit, & unde? Lechus interim ſuum nomen diſſimulat, cælatq;. VIII. *Regina innuit ſuum Poliæ nomen; & cujusdam Libriæ fatalem caſum.* IX. *Lechus diſſimulat magis ſuum nomen, ac poſcit doceri de fatis Libriæ.* X. *Regina Polia (cui loqueretur, ignara) narrat illacrymans prolixam hiſtoriam de fatis infelicibus Libriæ. De cauſa & modo pereundi à fera. De ſuî adventûs cauſa in Lemiſaletum De deprædatione Depoſiti, cuidam Lacho ſacri, & vindicatione præſenti per hoſpitem.* XI. *Poſt narratam de fatis Libriæ hiſtoriam, Lechus vix tenet lacrymas. Profundum tamen dolorem diſſimulat, & nomen ſuum.* XII. *Interea rumor de exercitu ignoto, propinquante ad portas, crebreſcit.* XIII. *Lechus cognoſcit ſuorum Slavorum caſtra, Ducem Lechum quærentia: & portas recludi jubet.* XIV. *Slavi ſalutant & inclamant Lechum.* XV. *Audito nomine Lechi, conſternata gemit Polia, dolens narratam Hoſpiti ſuo hiſtoriam de Libria.* XVI. *Lechus Poliam ſolatur. Poſcit doceri de munere Depoſiti, cuidã Lacho ſacri in Lemiſaleto.* XVII. *Polia, docendi ſeriem differt in craſtinum. Interim menſæ Regiæ Slavos cum Duce adhibet.* XVIII. *Menſîs ſubmotîs, Lechus cum Slavis in caſtra progreditur, mutua inter colloquia & quæſtiones.*

LIBER

LIBER IV.

VIDERAT adventum Lechi, licèt orba carenſq; I.
Ambobûs Magaſerva oculîs: quæ fronte cavata
Lumen utrumq; tenet quaſi carcere; marcida, ſqualens,
Serviliq; oppreſſa jugô, patienſq; laborum.
Quam penes attonitus pavor, & ſinè viribus æquis
Oppreſſi lacrymant, exantlatiq; labores.
Vita incerta ſuî, ſuſpendit ab ore Tyranni
Motum omnem: non illa ſitim, non frigora & ignes
Non mortes ignava pati: modò ſæva Poteſtas
Imperet, actutum per mille pericula rerum
Curritur, & *Sors eſt, fatô mutâſſe timores!*
Infra carcer iners, Plutoniſq; æmula clauſtro
Regia, mancipiis non evitanda coactis.
Hinc illinc pendet pœnarum ex ordine longo
Omne genus; pedicæq; graves, colloq; parata
Vincula, & elicito madidæ de ſanguine virgæ.
Undiq; proſpectat gravis inclementia; cædum
Paſci-

Servitii, propera non tardis viribûs ultor!
Tu tamen, ante alios qui longè animoſior exis,
Accelera, nec differ opem Diridane: potentis
Sêu Lemiſaleti ſpolias, quantum auguror, aras;
Sêu Lechum Slavosq; ſuos cantamine diro
In mala fata vocas. En jam conamine tanto
Quæſitus tibi Lechus adeſt; cuſtode remoto
Errat inops ſylvis, tua præda meiq; furoris.
Vade age; conatuq; omni perniciter inſta,
Captivaq; Lechum: tua te Magaſerva precatur.

Peſtiferæ gemitus Sagæ, penetraverat aures II.
E longo Diridane tuas; qui perfidus, effrons,
Lemiſaletani violare altaria templi
Auſus eras: Sacrum clypeum gazæq; repôſtæ
Depoſitum, fur ſacrilegus, comitumq; Magiſter,
Prædonum in latebras vicinaq; littora agebat!
Hûic ubi vox Sagæ, gemitusq; & cauſa dolorum
Adſtrepuêre aurem; profugus licèt, avia luſtrat,
Accenſusq; furore oculos, nunc aſpicit iſtam
Nunc partem terrarum aliam: modò quærit, an aura
Quidvè ſonet? Lechumnè Ducē, Slavosnè manîplos?
Nunc (quaſi conſuleret ſtyga) merſa interrogat aure
Explorator humum, tremula num mole dehiſcat
Campus, quisvè agger venientem nuntiet hoſtem?
Qualis odoratæ dum proxima colligit Umber
Signa feræ, volat ancipiti per devia greſſu,
Aure, oculis, & nare ſagax; ſalit huc, ſalit illuc,
Donec in optatæ veniat ſpectacula prædæ.

Interea Lechus longa regione viarum III.
Feſſum agmen, magnæ locat ad confinia prima
Vandaliæ. Figunt plana ſtatione gregatim
Caſtra Slavi, & poſitis reſpirant nonnihil haſtis.

Non tamen illa Lecho fuerant reſpiria: curſs
Angitur, & *Ducibus ratus eſſe quieſcere crimen*,
Caſibus in dubiis hæret, curſûsq; peractî
Conſulit eventum, curasq; examinat ægras.
Sylva impendebat, denſæ procul arboris umbram
Hinc atq; hinc jaciens; magìs hôc accommoda paci
Quò magìs à ſtrepitu vulgiq; receſſerat unda.
Incomitatus adit longam Lechus advena ſylvam;
Triſtis & ambiguo ſimilis, pavidæq; volutans
Neſcio quæ præter ſolitum luctamina mentis!
Dumq; errat dubius; longè latèq; relictìs
Abſciſſum caſtrìs mœror greſſusq; tulêre;
Corde intus trepidante, mali terrore futuri!
Augurium nec inane fuit: quippe obvius illâc
Spe prædæ properabat hians, pedicasq; ferebat
Arte valens magica & cantu Diridanus & herbîs.
Qui ſimul ac Lechum veſtigia lenta trahentem
Vidit & agnovit: Te tandem perdite (DIXIT)
Aſſequor! o noſtri caput exſecrabile voti!
Hoſpes & hoſtis ades: plus & quàm fortè precarer,
Solus ades, facilisq; capi! Date vincula collo
O comites, volucriq; pedes onerate catena.
Sed quid opus vinclìs? ultro, non viribûs acta
Præda venit: captiva petit ſed liberè haberi!
Parva petis; quod poſcis habe: quoniam tibi tantus
Libertatis amor, ſinè compede vivito liber,
Captivusq; tamen, mentisq; errore ligatus.
Hæc ait: & voces furibundo immurmurat ore,
Circinat & virgam per eundem ſæpius orbem,
Carmineq; inducit nebulas; nunc verſus ad ortum
Nunc & ad occaſum; nunc âëra pura veneni
Inficit halitibûs, Lechumq; intercipit illîs.
Conti-

Fulſerat effigies, violenti fulguris inſtar,
Quod venit in puncto nubesq; illuminat omnes.
Senſit adeſſe ſibi de luce pericula Sagus,
Corrigit errorem, conditq; in pyxide parmam.
Conſilium ſed ſerum operi; ſacraq; piatus
Luce àër, magicas procul attenuaverat umbras.
Fucus abeſt, fraudesq; patent; nocituraq; multis
Ars Diridanum defecerat, artis & uſus.
V. Jam recipit mentem Lechus, & velut excitus altô
Evigilat ſomnô; vaneſcere falſa videbat
Quæ fuerant, vel quæ ſub imagine vincla fuêre;
Ulturusq; nefas audacem ſtrinxerat enſem.
Viderat armatum Diridanus, & ultima cogens
Auxilia, iram aliam nec vincula falſa parabat,
Et comitum poſcebat opem. Lechus imminet illî,
Et jam cum vera ſubeuntem compede Sagum
Enſe ferit valido, repetitq; in vulnere vulnus.
Procubuit, turpemq; animam cum ſanguine Sagus
Reddidit ore ſtygi, non illo funere dignus.
Attoniti Piratæ alii virtuteq; Lechi,
Paſtorumq; canumq; metu de valle propinquâ,
Diffugiunt celeres. Unum tamen usq; ſecutus
Occupat à tergo Lechus; prênſumq; lacertîs,
Qui ſit & unde? jubet ſibi reſpondere trementem.
JLLE AUTEM: Genus o hominum fatale, genusq;
Nos ſumus exoſum Superis, piratica monſtra,
Qui vitam ſcelere exigimus; qui nuper ab iſto
Littore traducti, ſpoliavimus aurea ſummi
Templa Jovis, Lemiſaletô quæ grandia ſurgunt.
En jacet in cymba ſpolium, ciſta aurea, grande,
Depoſitum ſacrum, quodq; ara Tonantis habebat.
Jam pœnas dedit ille, hujus qui criminis Author,
Jlle,

Jlle, tuo jacuit qui Diridanus ab enſe;
Fugerunt reliqui: ſoli mihi funera reſtant.
Sed miſereſce tamen! nihil, o fortiſſime, præter
Hanc animam poſco; vitam concede precanti!
TUM LECHUS: O noſtrâ latro indigniſſime dextrâ,
Pulchræ pone metum mortis: nam, *Parcere victis
Victorum decus eſſe*, ſcio. Nunc vincla capeſſe,
Et quoniam nôſti Jovis atria; perge docere,
Lemiſaletanas quænam via ducat ad aras?
Ibo Jovi ſupplex, & veſtro crimine raptum
Depoſitum, quodcunq; illud quod clauditur intrà,
Reſtituam; ac vitæ pro munere munera reddam.
Hæc Lechus: & ciſtam, quæ mauſerat abdita lintre,
Lintre levat, veluti laturus in ardua ſummi
Templa Jovis. Jovis ille quidem, qua parte laterent,
Templa, ignorat adhuc; diſcendi copia donec
Eſt data ab Indigenis, quos ſparſus littore clamor
Egerat ad littus. Gratata eſt turba ſalutem
Victori, prædamq; actam cæſosq; latrones.
Indè docent, *Qua parte locus, quem quæreret, eſſet*;
Deducuntq; etiam, circumfunduntq; coronâ,
Mirati inſolitas vires habitumq; decusq;
Hoſpitis ignoti, quem nulla æquaverit ætas.
Eſt locus, immenſi qui prominet æquoris inſtar, VI.
Planities ingens, venatibus apta, virûmq;
Curſibus & ludis; *Lemiſaletumq́*; vocatur.
Hinc illinc virides umbræ, pulcherrima viſu
Atria ſylvarum: poſſes ea dicere dulces
Heſperidumq; hortos, Driadumq; Auguſtal & aulam.
Hic ſedes Jove digna fuit; nec defuit illi
Jupiter, & mediîs ſtabant templa ardua ſylvis,
Araq;, quam nuper ſpoliârunt improba furta.

Templo aderat Regina loci; quæ triſtis ad aras
Flebat adhuc, laniata comas, oblitaq; priſci
Nominis & decorum; præterq; alimenta doloris,
Singultum & lacrymas, nil admiſſura, gemebat.
Ecce volat rumor: *Cæſos ad littora fures;*
Vindice neſcio quo ſacras ad templa referri
Depoſiti exuvias, jam jamq; ad limen adeſſe.
Erigitur, lacrymasq; inhibet, frontemq; ſerenat
E media quaſi morte redux Regina: nec illam
Majeſtas tenuit, quin protinus obvia grati
Hoſpitis adventu, valvas properaret ad ipſas.
 Quæ ſimul ac Lechum ſubeuntem limina vidit:
Quisquis es, EXCLAMAT (magnum præſentia certè
Prodit, & o! qualem veneremur Numinis inſtar)
Hoſpes ades, cùi templa ſuus cùi Jupiter aras
Debeat! officiô præſtas, ne gratia factis
Sit par ulla tuis! meriti neque noſcere cauſam
Quære tui: tantum nobis tecum advena reddis,
Quantum hæc, quã defers, ciſta aurea reddita reddit.
Quidquid habent gazæ, pretiôq; quod eminet omni,
Accipe, donamus; Patriamq; ut demus & ipſam
Eſt minus acceptis: tantum hæc ciſta aurea donũ eſt!
DIXIT; & amplectens porrectæ pyxidis urnam,
Ter quater admovit lateri, ter & oſcula fixit,
Illacrymansq; iterum, ſua pavit gaudia fletu.
 TUM LECHUS: Haûd ullo virtutem vendimus aurô,
Quæ laudem non lucra petit: Potuiſſe mereri
Eſt ſatìs Heroi, famamq; emiſſe merendo.
At quoniam Regina faves, ſubſcribo favori,
Et tua ſit, volumus, benefactis gratia noſtris.
Idq; quid eſſe poteſt? quàm ſi conceditis, alti
Viſere templa Jovis? Servatoresq; ſalutis
Exo-

Exorare Deos, grateſq; & reddere thura?
Idq; ego quærebam, quàmvis diſcrimine tanto
Tutus adhuc: nunc plura movent, majorq; receptæ
Cauſa ſubeſt vitæ; ne, cujus munere ſalvus
Evaſi, devota Jovi non munera ſolvam.
Templa patent, (REGINA REFERT) pactô utere votô,
O nobis non grate minùs, quàm noſtra tenenti
Templa Deo, majus niſi te ſit in Hoſpite Numen.
HÆC AIT: arreptumq; manu reſonantia ducit
In delubra Lechum. Præibat utroſq; Sacerdos
Ciſtam humerîs in Fana ferens: qua dêinde repôſta
Myſtæ alacres cecinêre metrum; ne ſurdus abiret
Jlle dies, magnî peragens oblivia luctûs.
Thura Lechus poſcebat adhuc: Regina petentem VII.
Impedit; &: Longis eſt (INQUIT) inutile tempus
Ritibus, o Hoſpes! cadit umbra, & veſper, & iſti
Nox minùs apta operi. Sint hæc exordia magni,
Cras quod erit, feſti: curas non improbo cœptas,
Tempero ſed flammam: *Virtus moderamine conſtat.*
Interea mecum regalia tecta ſubintra,
Hoſpitii ſi jura valent, ſi Jupiter ipſe
De te aliquid meruit: fas reſpirare labores,
Fas epulîs lenire famem, curaſq; levare.
Officiô victus, templîs excedere Lechus
Suſtinet, itq; comes; dubiâq; nitentia luce
Regia tecta ſubit, bipatentibûs obvia valvîs.
Omnibus hinc ſucerevit amor, pernoſcere nomen
Hoſpitis ignoti, Patriamq; & ſanguinis ortum.
Ede, (INQUIT REGINA PRIOR) quo diceris Hoſpes
Nomine? quodvè genus tibi certet & ortus avitus?
Unde venis? cur Vandalicas petis advena terras?
Quàmvis, ùt taceas, in te Nomenq; Genuſq;

Suſpicor auguſtum, quodq; ære notetur in omni.
Scitanti ſilet ille ſuum nomenq; genusq;,
Quodq; poteſt, REDDIT: Qui ſim, Regina, vel undè,
Quærere diſſimula! timeo, ne vera fateri
Me dubites, noſtrum ſi fortè docebere nomen.
Ah pudet effari! non hæc Fortuna, priori
Nomine digna meo eſt; nec qua ſim talis, ùt ante!
VIII. Tum Regina, ſuos reminiſcens mente dolores;
Crimine Fortunæ ſi perdimus omnia, (DIXIT)
Et nullum miſeris nomen manet; ipſa vocari
Cur Polia ſinam? cur & Regina; meæq;
Vandaliæ Præſes? certè mihi vaſta dolorum
Reſtat adhuc majorq; ſeges! dilecta Libriæ
Nomina ſi revoco, lugendaq; fata Puellæ!
IX. Plura locuturam, ſermone præoccupat Hoſpes;
Diſſimulansq; magìs ſua nomina: *Fare, quod* (inquit)
Eſt ſcelus? aût cujus gemis, o Regina, Libriæ
Funera, præreptosq; annos? audire voluptas
Hæc miſeris lacrymoſa licèt, tamen uſus in illa eſt,
Dum ſibi dumq; aliis ſua mutua vulnera narrant.
Sic ait: atq; iterum, *Quæ ſit Libria, vel unde,*
Cujus & illa foret Proles? quaſi neſcius urget.
X. Accipe, quos poſcis caſus; (REGINA REPONIT:)
Vandalus eſt fluvius, longîs cûi Regia murîs
Imminet, & monti nitet interpôſta Vavello:
Undalus hanc ætate Puer, Rex ipſe futurus,
Cumq; Parens Puero ſedem Polia colebam.
Huc præſtans (meminiſſe juvat) ſimilisq; Dianæ
Aût iſti anteferenda Deæ, Libria Puella
Eſt delata mihi: ſævis Raptoribus illam
Eripuit, noſtræq; Ovidas tradidit aulæ.
Exhibui Matrem; nec erat mihi cura Puellæ
Aût

Aût minor aût aliter, quàm ſi mea Gnata fuiſſet.
Nempe merebatur, quam nulla dote carentem
Optarem genuiſſe Parens: certaverat illi
Et decor & virtus & gratia mixta Pudori.
Undalus hanc Juvenis, noſter quoq; Filius idem,
Virtutes dum ſpectat, amat; tædasq; jugales
Fœdere connubii ſociare in Virgine quærit.
Difficilis voto pugnat contraria virtus
Virginis: ante oculos pudor, & jurata Dianæ
Mens, animusq;, etiam conceſſos odit amores.
Cauta ſuî tamen eſt, nec ſe illa pudore tuetur,
Sed Patris arbitrium, *Sinè quo nihil hactenus auſit*,
Appellat; *Patris arbitriô ſe ſtare*, profatur.
Lechus erat Genitor; (Lechi ſi nomen in aures
Vênit fortè tuas, Hoſpes clariſſime) Mentem
Reſtabat tentare Patris: tentavimus; & non
Eventu caruêre preces. Probat omnia nempe
Optatosq; Lechus concedit mox Hymenæos,
Lege interpoſita: *Ne Filia nupſerit ulli,*
Dum venit ipſe Parens; aût irrita pacta futura.
Aſſenſu Patris primò tremefacta Puella eſt:
Dum tamen adventum Patris, legemq; revolvit,
In majorem animam viſa eſt grandeſcere: ſpemq;
Concipit adverſam thalamis, ſi forſitan adſit
Ipſe Pater præſens, thalamis contrarius iiſdem.
Tempore poſt parvo rumor volat: *Occubuiſſe*
Belli acie Lechum, merſumq; in fluminis alvêo!
Dictu difficile eſt, quantîs ululatibûs omnem
Implêrit Libria arcem! quotiesq; Parentis
Nomine clamato, mortem ſibi quærere viſa eſt!
Lugenti, quæcunq; poteſt, ſolatia præbet
Undalus imprudens: *In ſe Patremq; vicesq;*

Aſſore Patris, ait; *Conjux ſua ſi velit eſſe.*
Hôc magìs illa dolet! nocuit medicina dolenti!
Bis miſeram ſe ſe queritur; ſimiliq; Parentem
Atq; ſuum ſimili periturum morte pudorem!
Quid? quòd inaudierat, Dagoberto ſe quoq; cûidã
Optari? nusquam ſibi tuta videtur; & odit
Lucem aulæ; &, *Multis, damnum putat eſſe, placere!*
Ergo dolore amens, fugientûm nocte patrona
Utitur, & noſtra clàm Virgo elabitur arce!
Prima fugam ſenſi Polia: *Excurrite cunctæ,*
Exclamo, *Famulæ! vacuum conclave Puellâ eſt!*
Quò miſera evaſit? timeo, ne victa dolore
Sit; liceatq; aliquid quod deſperare vocatur!
Excurrunt, quæruntq; alacres: rapit impetus illas
Nunc huc, nunc illuc. Nusquam Libria reperta eſt!
Tum verò gemitus major majorq; ſonare!
Undalus ante alios, cûi plus ab amore doloris,
Poſcit equos, ſcanditq; datos; ſimilisq; furenti,
Quà via quàq; fuit nusquam via, ſedulus errat:
Et nisì deprêndat, ſtatuit non ante reverti.
Ipſa quoq; egredior, clamoq;: *O charior omni*
Prole mihi, quà Virgo lates? temerarius ille
Quis, mea, te nobis metus abſtulit? aſpice noſtros
Singultus, & tuta redi; timor exulet omnis!

Præterit una dies; nusquam Libria reperta eſt!
Manè peto ſylvas, profugamq; inquiro Puellam,
Annè aliqua ploret lateatq; ſub arboris umbra.
Dum circumſpicio; ſumma tellure notavi
Neſcio quid majus tellure; hominemq; putares
Aût homini ſimile eſſe aliquid, quod terra ferebat.
Corpus erat lacerum, cûi non ſua forma, nec oris
Signa prioris erant; ſed ſparſum in membra cadaver

Parvaq;

Parvaq; vixq; hominis veſtigia præbuit ulla,
Quem modò crudeli laniâſſet bellua dente.
Quis foret ille miſer? dum conqueror: ecce jacebat
Palla cruore madens, veſtesq; habitusq; Libriæ!
Corporis in laceri digito, miſerabilè fulſit
Annulus, ille idem quem nuper pignus amoris
Libriæ dederam, ſignatum Stemmate noſtro.
Omnia luctus erant, & indubitata peractæ
Signa necis, Libriæq; meæ monumenta peremptæ!
Quid mihi tunc mentis? penetravit in intima frigus
Oſſa; meosq; ſilex rigidus prope vênit in artus!
Dirigui, gemituq; diu lacrymîsq; carebam!
Ad me dum redii, libertatemq; recepit
Flendo dolor; ſparſas, ùt erant ſinè lege jacentes,
Colligo relliquias; Lemiſaletiq; potentis
Templa remota peto, tumulum poſitura peremptæ.
Hic locus, hæc Lacho per tot præſagia ſedes
Promiſſa à magnis placuit, Jove Judice, Divis.

Dum tamen huc venio, Lemiſaletana doloris
Alterius cauſam reperi Delubra! patebant
Depoſitô ſpoliata ſacrô, quod tempore longo
Servatum Lacho, furum violaverat auſus.
Uſq; adeò mala, quæ veniunt, odêre quietem;
Nec miſerum licet eſſe ſemel, niſi ceperis uſum!
Depoſitum tamen, o Hoſpes, te Vindice templis
Illæſum rediit: gratus tibi muneris hujus
Lechus erit, ſi fortè aderit, quemq; affore ſpes eſt.
Me verò quæ pœna manet? quo perdita vultu
Occurram Lecho, cûi Gnatam pænè peremi?
Libriæ nam nulla ſalus, fiducia nulla eſt!
DESIERAT: lacrymîs in verba noviſſima fusîs,

Ah quanti gemitus, tacitiq; in corde dolores XI.
Inſe-

Infelicem animam jactârunt Hoſpitis! altos
Singultus prohibet dare, diſſimulatio Patris;
Non dare, tormentum eſt! vicit patientia tandem
Dura nimis, fugiensq; tamen miſeranda videri.
Nempe tenet lacrymas, indignantesq; teneri
Devorat introrſum Lechus, ſeq; occulit unà
Diſſimulatq; Patrem! non ſentit in ore colorem
Qui varius ſemperq; miſer, prodebat ab extra
Quæ mala ſævirent in pectore. *Qui furit intus,*
Nec vult arte tegi, nec, ſi velit, imperet illam
Ipſe ſibi mœror, luctusq; tacendo diſertus!
XII. Noſcere jamq; homlnem poterat Regina, quis eſſet,
Curvè Hoſpes nimiùmq; aliena clade doleret:
Nî fragor ad portas, ſtrepitusq; acerq; tumultus
Militiæ ignotæ, ſtudia ad majora vocâſſet.
Hoſtis adeſt, clamant famuli; *defendite muros,*
Hoſtis adeſt, jam caſtra locat, jam mœnia prênſat.
Ad fremitum Regina pavet: *Portisq; cavete,*
Clamat, & *unde venit non notus, diſcite, miles.*
XIII. Nec minor & Lecho cura eſt cognoſcere; quænã
Improviſæ adſint acies, quis miles in armis?
Turris erat; turrim ſuperinſilit, & ſpeculatur!
Dumq; diu explorat, (mirum!) videt ordine turmas
Cognoſcitq; ſuas! Slava agmina, Slava fuêre
Signa, ultrò citroq; Ducem quærentia Lechum.
Pone graves Regina metus, (Lechus inquit) *amicum,*
Quod venit, eſt agmen; non advenit hoſtis in illo.
Quin portas reſerate, precor; venientibus ipſe
Occurram: veniunt mea caſtra meiq; Sodales,
Quos mihi meq; quibus nuper malus error ademit.
XIV. Vix Hoſpes monuit: Valvas Regina recludi
Læta

Læta jubet. Subeunt Slavi, Lechôq; repertô,
Lechus adeſt! uno ore omnes clamantq; fremuntq;;
Lechus adeſt! ubi Ductor eras? quis caſus ademit
Te nobis? quis Leche iterum te reddit ademptum?
Sic clamant, properantq; pares, Lechumq; ſalutant,
Oſcula nunc plantis, manibus nunc oſcula dantes.
Accipit ille omnes, & flens, Patremq; Ducemq;
Dividit ex æquo: *Lechoq; ignoſcite*, (dixit)
Hactenus abſentem ſi deplorâſtis! ad usq;
Nunc patimur, rebusq; venit ſors ardua noſtris.
Ad toties Lechi clamatum Nomen, &, Hoſpes XV.
Quis foret ille ſuus, poſtquam eſt edocta Polia:
Me miſeram (EXCLAMAT) tunè es Lechus ille, Libriam
Cûi ego non reddo, cûi hanc quoq; ſæva peremi!
Quæ te adeò tenuit patientia dura ſilentem,
Dum tibi narrarem Libriæ fata, tuiq;
Sanguinis hiſtoriam? cur diſſimulator acerbî
Et casûs & vocis eras? cur ipſa dolores
Dura tuos fovi? nec erat mens provida nobis,
Vulnera ne ſciret Lechus ſua? *Quod ſinè ſenſu eſt,*
Non ſævit vulnus; ſævit palpando cicatrix!
Plura locuturam Lechus interpellat; &: Hæ ſunt XVI.
Fortunæ fatiq; vices, Regina: nec (INQVIT)
Te crimen, prôut reris, habet: nec mole malorum
Vincimur in tanta, quanta eſt in clade Libriæ.
Fractum aliquando Lechum non fata videbitis ulla.
Plus & adhuc fortuna velit ſævire, nocentem
Mente feram placida; clypeum dabit ardua virtus,
Pone modum lacrymis; et, ſi ſolatia nobis
Ulla optas, da ſcire tui da viſere templi
Depoſitum prægrande illud, quod nuper ademi

Pira-

Piratis; quodq; ipſa Lacho, quaſi munus ab aſtris
Præſagum, veſtras ſervari dicis ad aras.
Omnia præſtiteris, ſi das quod poſcimus unum.
XVII. Omnia poſcenti dabimus (REGINA REPONIT)
Regnum etiam, quod Depoſitô promittitur iſto
Leche tibi: votis potiêre ingentibûs Hoſpes.
Craſtina dum Phœbum lux proferet, ibimus unà,
Quodq; tenent aræ, donum lucraberis Hæres.
O utinam ereptæ pretium tibi poſſe Libriæ
Orbe dato penſare queam! non ſufficit omne
Munus; erit tamen hoc, munus ſi ſufficit ullum.
Sed tamen interea ſua ſint, precor, otia curis;
Nunc placate famem, menſisq; accumbite noſtris
Cum Lecho Slavi: poſthac, quod oportet, agemus.
Dixerat: & menſis, ùt quemq; popoſcerat ordo,
Diſcubuêre ſimul. Tunc quidquid in alite coctà
Fercula commendant, epulæq; ante ora paratæ,
Turdus et, & multo ſpirans ab aromate capo,
Atq; alia, illecebras placidî præbentia guſtûs,
Per mappam poſitîs (quæ ſingula luxus amaret
Quæq; gulam urebant) ſteterant bellaria caſtrîs.
Cuncta Slavis ſapiunt, cœnâq; epulîsq; fruuntur,
Et fallunt ſermone dapes, & pocula miſcent.
XVIII. Utq; expleta fames, facundo humaniter ore
Lechus agit grates: humaniter indè peractîs,
In ſua cum lætis remeat tentoria Slavis.
Tunc Proceres auſi cauſas inquirere: *Lechus*
Tempore cur tanto, qua ſorte Sodalibus eſſet
Ablatus? Fierinè unquam (SUBIUNXERAT UNUS)
Hoc potuit, velles ut ſponte relinquere caſtra
Et Comites o Leche tuos, cûi tantus in omnes
Eſt amor? hâud fallor, nemorum te lubricus error
Et

Et tuus abripuit; non proficientibûs ullîs
Slavorum lacrymîs, quæſitô ſæpè diuq;
Ut tandem Lechô poſſemus quisq; potiri.
Vulnus ad acceptum tantus dolor ivit in omnes,
Quantus erat Trojæ, dum ſe ſolamine prorſus,
Hectoris ablati poſt funera, cerneret orbam.
Delubrum Jovis indè tamen, quò vota ferebant
Te tua, conſtanti mœrore petivimus: ulla
Si deprêndendi fierent veſtigia Lechi.
 Lechus ad hæc: Noſtrî ſatìs explorata (REPONIT)
Argumenta animi ſunt vobis! credite, nullus
Utilior caſus fuerit vobisq; mihiq;
Quàm modò dum cunctis miſer interiiſſe putabar.
Craſtina lux ſeriem veſtrô narrabit amori:
Nunc tempus curæq; jubent dare membra quieti.
Hæc Ait: & greſſum movet ad tentoria; noctem
Ut peragat miles, comitumq; indormiat armis.

ARGUMENTUM
Libri 5ti.

I. *LECHO, brevem quietem in caſtris capienti, ſomnia antiqua redeunt, de condendis aureis Regnis.* II. *Manè Reginam adit Lechus; & ambo cum comitibus proficiſcuntur ad templum Jovis Lemiſaletani.* III. *Sylva Lemiſaleti peramæna, inter aulam Poliæ & templum Jovis media, deſcribitur: (ubi nunc Gneſna) Hàc Lechus Poliaq; iter faciunt.* IV. *Aquilarum, nidorumq; copia in ſylva Lemiſaleti, deſcribitur.* (De hac Aquilarum, nidorumq; copia, Sarn: l. 4. Crom: l. 2.) V. *Lechus rogat cauſam, tantæ eò loci Aquilarum multitudinis.* VI. *Polia reſpondet: & refert hiſtoriam de origine Aquilarum Lemiſaleti, narratam olim ab Augure: cujus narrationem inducit. Simul de origine Dopoſiti, cauſas refert, cuidam Lacho ſacri, & ſervati in Fano Jovis.* VII. *Proſequitur ulterius Polia: & narratæ hiſtoriæ præſagia, Lecho præſenti applicat.* VIII. *Lechus & Polia cum Proceribus, Fanum Jovis intrant; aperientibus Myſtîs Depoſitum.* IX. *Clypeus ex Depoſito producitur, variorum Regum imaginibꝰ reſplendens; ac ſimul geſta eorundem, regna, & provin-*

provincias &c. illis ſubjectas, in effigie exhibens. X. *Explicantur ſingula Imaginum ſymbola, adumbratîs Lechiæ Regum geſtîs, quorum nomina recenſentur, quicunq; 50. à Lacho* primo *regnârunt usq; ad Auguſtum* 3tium, *hodie feliciter regnantem.* (Prout exprimuntur in Tabula Chronologica Ducum & Regum Poloniæ, à Dominico Rubeis, à Crom: l. 2. ab Ines in Lech:) XI. *Lechus, in clypeo expoſito ſculptas effigies Regum examinans, conſpectu unius imaginis, conformis Viſimiro, illacrymat: & Filium olim amiſſum deplorat.* XII. *Gebericbus, olim in Daniam ad inveſtigandum Viſimirum miſſus, redit infectîs rebûs. Lecho nunciat, à quodam potiùs Lechdano Dana littora vaſtari.* XIII. *Polia, tradit Lecho Clypeum, Imaginibûs Regum inſignem. Innuit de galea & gladio antiqui Vandali; per Geſericum quondam ablatis. Hortatur Vandalidas, ut Lechum in Principem ſuſcipiant, & pro Lacho recognoſcant.* XIV. *Ariſbas, Vandalidarũ unus, nomine cunctorum perorat; Lechum pro Vandaliæ Principe Lachoq; recognoſcens. Huic reliqua Vandalidûm turba applaudit, & Lachum inclamat.* XV. *Lachi ad Vandalidas oratio.* XVI. *Lachus, Jovi victimas & ſacra litat ſolenniter.* (De victimis Jovi Lemiſaletano litatis à Lacho, Sarn: l. 4.) XVII. *Solennia Lachi, celebrantur cantu Haruſpicũ, aliorumq; tripudiîs.* XVIII. *Veſpere tandem imminente, Feſtivitatis continuatio differtur in craſtinum.*

LIBER V.

I. VT ſolet, occiduo correptus veſpere, noctem
Lucifer exigere, & radiô vigilare perennî,
Amiſſamq; aliis tot ſomnos inter & umbras
Fert ſecum ipſe diem, nec ad otia reſpicit ulla:
Sic Lechum vigilata diu nox illa, quieſq;
Sen ſopita habuit ! quo ſit ſibi munere regnum
Promiſſum à Superis, cognoſcere fervidus ardet,
Quàmprimumq; optat diſcedere tædia noctis.
Si qua fatigatos vicerunt ſomnia ſenſus;
Somnia, quæ quondam, dũ ſolveret in mare claſſem,
Lætus habebat, habet: Jovis hinc ſancita videbat,
Palladis hinc clypeum referentem nomina Regum,
Qui tua Poſteritas Leche ſint, & Numina terris.
Hæc Lechus repetens, & lætus imagine ſomni,
Sæpè brevem vigili ſolvebat lumine pacem.
II. Mane erat incipiens: Procerum tunc ordine ſeptus
Vicinam caſtris ſubit arcem & mœnia Lechus.
Jamq; illic Regina, viæ non immemor, omni

Sic acie firma pulliq; aquilæq; minores
Certavêre pati venientem deſuper ignem;
Ne minùs ad fulmen poſthac ſit idonea, nevè
Horreat ungue ales, quas hauſit pectore, flammas.
Plus ſed enim Lechi venientis in hoſpite vultu
Hæſerunt Aquilæ; nec erat timor ire deorſum,
Præter & ora Ducis volitando plaudere pennîs
More ſalutantûm; cunctæ quaſi dicere vellent:
Pace tuâ, non jam tua Jupiter Ales habemur;
Fas ſit abhinc Aquilas Lecho parere Miniſtras;
Jupiter hic nobis, hûic fulmina prêndimus ungue.
Non capit hinc Lechus ſua gaudia; ſed modò nidos V.
Nunc Aquilas cicures miratur! diſcere tandem
Conatus, volucrum ſit cur ea copia? SUBDIT:
Nunquam aliàs majora meos ſpectacula viſus,
Si licet effari, tenuêre: quid agmina tanta,
Quid, peto, quid ſibi vult aquilarum exercitus iſte?
Fac, Regina doce! dubitem, ſit Patria necnè,
Sed tamen hoc Aquilis video quòd Patria campô eſt.
Quærenti, Polia ſuo SIC REDDIDIT ORE: VI.
Si tibi tantus amor perdiſcere, quæ ſit origo
Innumerarum Aquilarum? pergo docere volentem;
Et ſermone viam, quæ reſtat, fallere grato.
Cùm ſuper ingentis peteremus origine cauſam
Depoſiti, templo tibi quod ſervatur in iſto;
De multis ſenior DOCUIT NOS TALIBUS Augur:
Bella, Jovem contra, gererent cùm fortè Gigantes,
Jupiter in pugnas ibat; ſed fulmina jactu
Ne ſibi deficerent, toto bene providus orbe
Audaces Aquilas, telorum ignisq; Miniſtras,
Fulmina deferrent, magno clamore vocârat.
Continuò armatæ volucres glomerantur, & unum,

Pars quotacunq; fuit, faciunt ſub nubibus agmen.
Hàc ibant Aquilæ; ſed enim dulcedine campi
Deceptæ, nemorisq; hujus per ſumma volantes
Decepêre Jovem; nec opem properare Tonanti
Cura fuit: gratam ſpeculantur ab æthere ſylvam,
Terq; quaterq; datô conſtanter in àére gyrô
Deſiliunt raptim, quanto cadit agmine grando;
Oblitæq; miniſterii, belliq;, Jovisq;,
Hîc figunt ſedem, ponunt & in arbore nidos,
Quotquot erant volucres; tanquã ſibi penſile regnũ
Magnæ habitatrices ac immortale pararent.
Interea omnipotens Aquilis pugnacibûs orbus
Jupiter, infauſta belli ſub mole laborat!
Et niſi Pallas opem de Gorgone prompta tuliſſet,
Ipſe ſuo jam tunc cecidiſſet cum Jove mundus!
Palladis at clypeô defenſus Jupiter, imò
Jam victor fusìs immanè Gigantibûs, ibat
Ignavas Aquilas ulturus; &, omnia luſtrans,
Iram aliam ſecum majoraq; bella ferebat.
Venerat huc, viditq; Aquilas nemora alta tenentes:
Protinus exarſit, reſpexit ad ignea tela,
Jamq; fuit vibrans aquilarum in fulmina fulmen.
Cùm ſupplex pedibus Pallas: Suſpende furorem
O Pater! (EXCLAMAT) *Nunquam non utile, legem*
Ponere vindictæ; dilataq; profuit ira.
Hunc ego per Clypeum, qui te defendit ab ictu,
Supplico, parce Aquilis, aût differ Jupiter iram.
Nîl meruêre Aquilæ, ſylva hac licèt usq; morentur
Oblitæ officii: quem non hic campus euntem
Quemvè moraretur non lucus amabilis ille?
Videris, ignoſces; ſylvam modò videris iſtam.
Deliciarum iſthic locus eſt, hîc viva recensq;
Scena

Scena voluptatis, Charites ubi ludere poſſint,
Et lætæ Dryades, & Amorum candidus ordo:
Magna ubi gaudia ſunt, nulli non dulce morari eſt.
Forſan & ipſe flagrans iſthâc ſi Jupiter îſſes,
Pugnæ impendentis magniq; oblivia cœpti
Te caperent; ſineres ut publica cauſa jaceret,
Teq; exſpectarent cunctantem in bella Gigantes.
Quod non damnares mitiſſime Jupiter in te,
Hoc aquilis nocuiſſe veta: non culpa ſed error
Hic fuit, *& Veniâ dignus tamen error habetur.*
Palladis admonitu langueſcere cœperat ex tunc
Ira Jovis: nidos ſenſim manſuetior omnes
Circumobit viſu, ſylvæq; obtutibûs hæret;
Miraturq; etiam, Vocesq; erumpit in Istas:
O Facunda parùm Pallas pro laude reperti
Et campi & nemoris! plus, quàm laudaveris, ipſe
Mente recollecta video! locus iſte, Deorum
Eſſe Polus poterat, nec terræ nomen habere.
Ignoſcendum Aquilis! tenuit quas longiùs iſthic
Pulcher amor, certè locus hic eſt dignus amari.
Fallor? an & noſtro ſimilis quoq; pectore cura eſt?
Et cupiam, terras cælô mutare relictô?
Soſpes Olympe vale, vos ſidera noſtra valete!
Jlla o! illa mihi, quæ tangit ſidera quercus,
Quæq; ſibi ſimiles ſupereminet una ſorores,
Hæc thronus eſto Jovi; ne verò deſit & æther,
Sit Polus hîc nobis, & campo nomina cedat.
Dixit; & in quercu conſedit Jupiter alta!
Pallas ad Hæc: Quoniam tibi maxime Jupiter iſta
Facta eſt terra Polus; fas eſt aſſiſtere Patri
Cælicolas Divos: pænè imperfecta, Joviq;
Nulla eſt Majeſtas nullo comitante Deorum.

Palladi ad Vocem ſic Jupiter Orſus: Habebit
Hæc quoq; terra Deos, & erunt ſua Numina terris.
Quotquot erunt Reges, quibus hic regnabitur Axis,
Numina tot fuerint: Caput horũ & maximus Author
Lachus erit, Colcha ducens ab origine ſtirpem.
Ante illum quàmvis plures mea regna tenebunt,
Nullus erit terræq; Parens Authorq; vocandus
Lachum unum præter; de quo ſua Lechia nomen
Clara feret, Regesq; dabit regnare Lechitas:
Auſpiciô quorum Pallas gaviſa videbis
Hîc Muſas regnare tuas, inq; urbe futura
Semina Athenarum jacientur prima tuarum.
Noſcere vis, quanti Reges qualesq; futuri?
Aſpice; & in Clypeo, cujus ſum munere ſalvus,
Nunc primùm effigies factas & nomina Regum
Contemplare tuo: Reges hi regna tenebunt.
Dixit: & extemplò vaneſcere monſtra Meduſæ
Palladis è Clypeo cœperunt: viſa repente
Regum auguſtorum facies ſuper ægide naſci,
Quos ſuper & reliquos Lachi aſcendebat imago.
VII. Hoc cecinit quondam multis adſtantibus Augur!
Qualiscunq; tamen Volucrum cantetur origo
Et Clypei, minus eſt; res eſt mihi certa Poliæ:
Namq; Aquilas totidem quot cernis in arbore frondes
Leche; nec in dubio eſt, templi quòd habetur in hujꝰ
Porticibus, nulli non admirabile Scutum,
Parma auguſta, ingens, variorum nomina Regum
Effigiemq; gerens; qualem quantumq; videmus
Te quoq; Leche, Lachum vivaci imitamine reddit.
Hoc erat illud Opus, cujus tibi munere regnum
Accipis; hoc quod erat raptũ modò: quodq; profana
Furta ſuper Vindex Piratis cæde peremptis
Depo-

Depoſitum illæſum retuliſti altaribus Hoſpes.
Vandalus hoc ingens quondam ſuper arbore munus
Deprêndit primus, templôq; arîsq; dicavit.
Quæ modò cuncta Jovi ſacra ſunt, Lachumq; repertũ
Ad ſua ſacra vocant, capias ut ab ægide regnum.

VIII. Finierat Regina. Patentibûs illicò valvìs
Obvia templa petunt, Lechus, Polia, Slaviq; ,
Vandalidæq; Duces, & confertiſſima plebes.
Thure dato, admoniti Myſtæ, de pyxide parmam
Educunt, arîsq; locant mirabile munus.

IX. Quale fuit, cælô quondam ſinè nube ſerenô
Lapſum Ancile ſacrum; tali ſplendore refulſit
Scutum, auguſtum, ingens! credas contendere ſoli
Luce ſua Clypeum, ſolem vel habere ſecundum.
Hêu qualis ſpecies ab imaginis ordine longo!
Scilicet hinc illinc divina cælitùs arte
Effigies fulsêre Ducum, quos eſſe Nepotes
Conſtabat Lachi, raſos ex ære rigenti,
Vivere quosq; putes animatîs mille figurîs.

X. At Clypei ſummus quà deſinit angulus, omni
Altior effigie, Lachi veniebat imago.
Frons auguſta Viro, majeſtatemq; vel ipſe
In vultu ſpirabat amor; meruitq; timeri
Leniter ore minax clementia, mitis in ære
Civibus, at nulli non formidabilis hoſti:
Ardebantq; oculi, vivumq; in imagine Martem
Vultus anhelabat, tanquam modò poſceret hoſtem.
Et quàmvis matura ætas, promiſſaq; barba,
Canaq; cæſaries homini; tamen integra virtus
Corporis, & bellis dabat aptum robur & armis.
Et fuerant laurus, fuerant ex hoſte trophæa,
Sub pedibusq; Duces victi terrâq; mariq; ;

Ipſe

Ipſe premens capita alta Ducum, regniq; Parente
Urbe ſedens media, ſoliôq; effultus eburnô,
Ut Caput & Patriæ Pater, ac ut deniq; Lachus,
Jura dabat populis, ævo Numa clarior illo:
Quàmq; præit Phœbus ſplendore minoribus aſtris,
Tantò ſpectandîs conſpectior omnibûs iſte eſt!
Inferiùs Clypei effigie Viſimirus in armis
Stabat ovans; quo non melior navalibus alter
Extitit in bellis; Daniæq; in Balthide nantis
Victor & Everſor, Daniæ (cêu Scipio) nomen
Ttanstulit in laudes, & in hanc, quam condidit, urbē;
Quamq; Gdanum voluit captivis nomine dici
A Danis, poſita quos urbe locaverat Heros.
Dêinde Palatini ſtabant in imagine parmæ,
Biſſeni Faſces quibus, & biſſena Curulis:
Ne Libertatis non monſtraretur origo,
Quam Lachus & Viſimir fundâſſent; tempore quorū
Jura daret populis, dilato Rege, Senatus;
Deq; Lacho fieret Reſpublica libera Patre.
Quantus in effigie Cracus exit! & Hercule major,
Quam timuêre omnes, interritus enecat Hydram!
Nomine *Olophagus* capita alta colubrifer hydrus
Tollebat, ſpoliis inhians ſpargensq; timorem;
Ut dubites, verum pictumnè ſit ægide monſtrum!
Quem ſuper, Herculeæ Cracus bene conſcius artis
Stabat, & ex hydræ ſtatuebat cæde trophæum.
Acceſſit titulis, liber ſerpente *Vavellus*,
Mons ingens, & lætitiâ qui creſcere protunc
Viſus erat, magnam ſuper urbem & mœnia pendens,
Urbem, quæ Regni quàmvis nec planta nec eſſet
Nidus, at eſſe Caput poſthac foret uſq; vocanda;
Quamq; ſuo Cracus, *Cracovia*, nomine dictam
Spe-

Spectabat; fatis non proficientibûs ulliſ
Monte *Laſotino* quin ſemper cerneret urbem
Author, & æternus tumulô quoq; viveret illo.
Ut tamen hæc parvæ maduiſſent mœnia Romæ
Sanguine Fraterno, Lechus alter, & alter in ære
Cracus erat, Craci Proles germana prioris.
Fratribûs ablatis ſuccedere viſa Paterno
Venda Soror ſceptro, tam Virginitate Dianam
Æquiparans, quàm Martem animîs; auſumq; virilem
Femina dum ſpirat, dum formidabilis haſtam
Concutit, & ſimulat cataphracti militis iram,
Palladis in Clypeo fuerat velut altera Pallas:
Nempe illi in Clypeo clypeus non defuit alter,
Non caſſis capiti, non dextræ Martius enſis:
Pentheſilea armîs qualis fuit ante tremenda,
Talis Venda modò eſt; ſe ſcribit Amazonas inter,
Ritigerumq; premit pede vindice, vindice ferro.
Vandalus hinc fluvius depictus in ægide, Vendam
Separat à reliquis, velut ultima linea recti
Sanguinis à Lacho: Vendæ favet ille pudori,
Suſcipit & Nympham, datq; immortale ſepulchrum,
Jllius à titulo geminanda vocabula ſperans.
Non procul hinc clypei, longo poſt ſe ordine Reges,
Lamina pingebat, diſtinguebatq; futuros
Premiſlum primum, Premiſlaumq; ſecundum.
Sex numerô indè Duces, ſex nomine parma ferebat
Leſcones; quorum qui maximus, arma tenebat
Martis et, & Themidis, Leſco Niger: illius aulam
Juſtitia intrabat, caperent ut regna Tribunal.
Alter ad impoſitum magnæ diadema columnæ
Infelix tendebat Eques, poſt terga relictîs
Arte dolôq; aliîs: hêu neſcius, illa *Quòd eſſent*

Fortu-

Cernere erat: ſed enim ferrô malè fortis & *Audax*
Unus habebatur: gladius tamen illius alter
Aptus Nobilibus fuerat de more creandis:
Nomen ei *Szczerbiec*, vitium quòd haberet ab alto
Vulnere, dum *Auratam* temeraret acinace Portam.
Pulchriùs at magnîs *Crivouſtus* viribûs uſus,
Pænè quaterdeno præcinctus tempora lauru.
Nec minor hîs, caſto ſibi qui de flore *Pudicus*
Nomen habebat, erat; tædas interq; jugales
Integer à flamma, puroq; ſimillimus auro.
Adde Miecislaos, Senii cognomine magnos,
Qui duo poſt primum tenuêre ingentia ſceptra.
Stabat & Hermannus, Venceslausq; Bòëmus
Regna Lechi Czechiq; tenens; Fraterna coirent
Ut ſimul imperia, & nexûs documenta darentur.
Tres Caſimiri aderant, quorum cognomine *Juſtus*
Alter, & alter erat Pompeji nomine *Magnus!*
Magnus & à bellis, & magnus ab Urbibus altis
Nempe Caſimiriam, Sandomiriamq; celebrem,
Innumerasq; urbes, atq; urbibus addita templa
Conditor augebat, magnorum imitator Avorum.
Lokticus hûic Genitor, Fortuna magnus in omni,
Ter regnô pulſus, ter redditus: isq; coronam
Transtulerat Gneſnâ; primus quòd vellet in iſta
Urbe coronari, cûi nunc *Cracovia* nomen:
Isq; Ladislaum referebat ritè priorem,
Qui fuit & tanto cedebat nomina Regi.
Nec Ludovice aberas Majoribus addite tantis!
Atq; omnes iſti geſtabant Lechica ſceptra
Ante Jagellonem: Clypei pars maxima poſthac
Sculpta, Jagelloneam pingebat in ægide Stirpem.
Stabat *Jagello*, Genus usq; Palæmone crêtum,

Litta-

Littaliamq; Italam, contemptor & ipſe Deorum,
Unius in cultum ſacrabat Numinis: orbem
Adderet utq; orbi, Lithavûm vaſtiſſima regna
Æterno Lechiæ ſociabat fœdere Princeps:
Addebatq; *Aquilis* Equitem *Pogonia;* duobus
Rex ſimul & Magnus Dux ex Inſignibus illis:
Utq; Slavis nomen, Famæ de nomine natum
Noverat, à Fama nomen quoq; cepit eadem;
Quotq; Miecislaos, Boleslaosq; aliosq;
Slavica claudebat modò ſyllaba, clauſerat omnes
Ipſe Ladislaus Fama comitante Jagello.
Qualis in imperio, quantîsq; ſuperſuit annîs!
Jllius ad ſceptri ſenium cum laude tenendi
Suffecêre anni quinquagintaq; duoq;.
Latiùs at magnos regnâſſe per ille Nepotes
Viſus erat Clypeô, dignus quì ſæcula longi
Pænè quater centum numeraret in ordine ſceptri:
Strenuus & felix & ſacra Prole beatus!
Nempe Ladislao Caſimiroq; ſequenti
Regibus innixus, magno ſpectabat amore
Divinam Prolem, Caſimiri in nomen ituram,
Cûi aras Avus ipſe daret Jagello, ſuumq;
Cæleſtes inter Divos Genus indè locandum
Diſceret: à populis cûi non vulgare tributum
Ara ſed & cultus & thura colendo venirent.
Longa mora eſt, nec imago capit tot habentia pondo
Nomina, tot Reges: Olbrachtum dextra gerebat
Pars Clypei: lævo fulgebat margine, magnô
Major Alexander, Sigismundusq; ſequeſter.
Stabat & Auguſtus, cognomine *Primus;* at idem
Pænè Jagellonidas inter, fuit ultimus: & nî
Auguſti geminæ reparâſſent ſceptra Sorores,
Magna

Magna Jagellonidûm vidiſſet linea finem.
At quàmvis ſeriem Valeſius usq; diremit;
Auguſti tamen Anna ſoror, Fraterna recepit
Sceptra, Jagellonei Generisq; & Nominis hæres,
Conjuge Bathoreo felix, data ſceptra tenente.
Auguſti tandem Soror altera, reddere raptos
Viſa Jagellonidas de ſanguine: nempe creatus
Matre Sigismundus fuit hac, qui nomine juxta
Tertius à Primo, decies quater ampliùs annum
Regnando menſus, regni tradebat habenas
Sceptra Ladislao, cognominis ordine quarto.
Indè Caſimirus; cûi Gratia ritè ſecundum
Addebat nomen: bellîs jactatus iniquîs
Jlle licèt, quôvis tamen inſuperabilis ictu;
Fortis in adverſis, laudumq; exemplar ubiq;:
Utq; erat è ſacris (quibus eſt Pater Igneus) Umbris
Suffectus ſceptrorum oneri; ſic ſceptra ſecundò
Ipſe ſuî Victor temni cùm laude docebat;
Regibus exemplar, Jagellonidûmq; corona.
Stabat abhinc clypeô Michàël Koributhus, abundè
Plenus Avîs, titulîsq; Ducum. Licèt ille fatiſcat
Ante diem; quantumq; tamen *Bene vivere præſtat*
Quàm vixiſſe diu, non longo tempore ſceptri,
Et famæ & decorum menſuram impleverat omnem.
Ponè comes lateri cantatus ab orbe Joannes
Ornabat Clypeum; quo Defenſore Vienna
Salva videbatur, quem circùm mille triumphi,
Et ſpolia, & fracto partum grave nomen ab hoſte,
Hinc illinc, Fama Regem monſtrante, cubabant.
Auguſta Clypei ſurgebat in ægide poſthac
Auguſtus; nulli, nisì *Primo*, laude ſecundus.
Infractum fortuna Ducem ſi viderit usquam,

Hic

Hic erat: ut, quoniam fuerit ſic fortis, & acer
Marte; Jagellonidûm crêtum de ſanguine credas.
Jlli Camenecum pro libertate recepta,
Proq; Muſulmanis nullo tunc ſanguine victis,
Pendebat grates: grates ſimul omnis agebat
Saxonia; &; *Tandem liceat ſibi*, prona petebat,
Errorum poſita graviori compede, ſancta
Regis ad exemplum cum libertate paciſci.

Ultimus ad Faſtos addebat in Icone Nomen
Regibus Auguſtis Auguſtus Tertius. Hujus
Reſplendent geſtîs, vultu cernuntur in uno,
Quotquot erant Reges: poſt parvi incommoda belli
Marte licèt circùm caleant felicia regna
Aût pereant: Lechiam Rector tamen ille Paterq;
Suſtinet illæſam; media inter fulmina mandans
Stare velut laurum: regnorum dummodò tandem
Diſcat ab exemplo, doceatur & ante ruinam,
Quanta ſalus populis, aliena pericula nôſſe!

Quinquaginta animas, quales quantæq; futuræ,
Ars cognoſcendas formârat ahenea: major
Area reſtabat, magnos ſinè nomine Reges
Quæ cælaret adhuc: & erant comitantia pictos
Regna Duces, fluviiq;, & magnæ ex urbibus Urbes:
Hinc Minor, hinc Major Polonia; plurimus illinc
Littaliæ ingentis cum Vilna circulus Urbe:
Ruſſia, Smolenſcum, vaſtoq; Livonia portu,
Et Czerniechoviæ Kijovia juncta, ſuisq;
Proxima cum populis Severia: dulcis adhæret
Volhynia Ukrâinæ; Podolia fertilis illinc
Valachiæ longo cum cardine; Podlachiæq;
Confinis ſtabat Maſovia: Pruſſia portum
Pulchra dabat, portu nec erat Pomerella minori,
Sile-

Sileſiamq; iſtis addebat ahenea parma.
Parte alia montes: ſcopulisq; immanibûs ingens
Carpatus, æthereis frontem abſcondebat in aſtris.
Hinc fluvii & fontes; quos inter maximus omnes
Vandalus, antiquum mutabat ùt Albula nomen;
Ac velut in mappam veterem veniſſet, habebat
Nomen in ære duplex: nunc *Iſtula*, *Vandalus olim*.
Talis erat Clypei longè radiantis imago! XI.
Quas ignorat adhuc urbes, & nomina Regum,
Cælatosq; amnes, hâc Lechus verſat & illâc:
Seq; etiam armatum Clypeo cognoſcit in illo,
Miraturq; oculorum ignes, & in ægide totus
Vultu immoto hæret: ſpectat faciemq;, ſuoq;
Marte manus dignas, & habentem fulmina frontem,
Terribili ex oculis interlucente Gradivo.
Singula magna licèt, tamen ille & ſingula grandi
Laudat in effigie, quibûs eſt laudabilis ipſe.
Ut verò ſpecies Viſimiri oblata refulſit,
Non tenuit lacrymas, tacitoq; in pectore SECUM
MULTA SUPER QUERITUR: Talisnè aliquando redibis
O Viſimire meus! qualem te lamina pingit
Redde Lecho Natum, miſeroq; revertere Patri!
Dic, ubi nunc hæres? cuperem, Spectator adeſſes
Ipſe tuî vultûs, nec te ſors noſtra lateret!
Fallimur ah forſan! nec te, quem flemus ademptû,
Oceano reducem remeare videbimus unquam!
Quæ fieri poſſunt, Patrem nunc omnia cogit
Facta putare timor; ferrô ſis raptus an undis!
Quod licet, amiſſi paſcemur imagine Nati;
Spes licèt exigua eſt, ut ſit tamen illa, precamur!
Talia dum Lechus memorat: venit ecce Geberich XII.
A Dania profugus, lacrymisq; HÆC FATUR OBORTIS:
Quærere Viſmirum juſſus, Dana æquora fruſtra

Littora fruſtra adii; nec Principis umbra reperta eſt!
Imò etiam, dum quæro alios, dum ſingula luſtro,
Ut miſer orbe alio, vix abfuit, ipſe perirem!
Scilicet infelix Geberichus nuper in oras
Appuleram Danas; ſed creditus explorator
Captus & à Danis, poteram de nomine magni
Viſmiri didiciſſe nihil! quod carceris inter
Scire umbras licuit, Danis id ab hoſtibus unum
Edidici: *Daniæ vaſtari regna per hoſtem*
Lechdanum, & hoc terris clades Authore venire.
Carcere tum profugus, quæ ſunt mihi dicta, renarro.
Leche ſcias tandem, penetrâſſe in Danica nullum
Littora Viſmirum: Daniam qui ſubjugat omnem
Lechdanus eſt hoſtis, tali illum nomine dicunt.
Dicebat Geberich: Cûi poſt ſuſpiria lenta,
Cêu ſperans aliquid, ſpe nec fraudatus inani
SIC REDDIT LECHUS: Mœroris ùt omnia plena,
Indice te, cognoſco Lechus; ſic proſpera nobis
Ut veniat Fortuna, precor; ſperoq; futuram.
Amiſſus licèt ille meus Viſimirus in undis
Erret; at hâud dubito, quin ſalvus ab æquore tandẽ
Huc veniat, vultusq; meos mortem ante reviſat.
An neſcis Geberiche hujus præſagia Scûti,
Quæ mihi Viſmiri faciunt ſpem provida ſalvi?
DIXIT: & objecti Clypei ſacra munera monſtrat,
Quidvè ſibi, docet, illa velint: Scutiq; patentis
Paſcitur obtutu, Gnatiq; ab imagine pendet.
XIII. Plura animô dum volvit adhuc; Polia morantem
OCCUPAT ALLOQUIÔ: Clypei geſtamina ſacri
Tolle (AIT) o Hoſpes! data munera tolle; quid hæres?
Soli eſt hoc Lecho Scutum tractabile; tolle
Quæ veniunt aſtrìs cæleſtia dona; tuumq;
(Quisquis erit) clypeô felix armeris in hoſtem.
Hic

Hic tibi præſidio Clypeus; licèt orbus & ipſe
Pænè eſt parte suî, galeamq; enſemq; repoſcit.
Scilicet hûic Clypeo galeamq; enſemq; vetuſtus
Vandalus addiderat quondam, ne parte carerent
Arma ſuâ, Jovis excelsô pendentia Fanô.
Tempore ſed noſtro galeam validumq; mucronem
Abſtulit è templo Geſericus, & hactenus illîs
Everti terràs, alieno Marte ſuperbus.
Parma relicta tamen, nec pars fuit altera prædæ
Sacrilego Regi: fuerat modò furibus; èq;
Prædonum manibus munus tibi Leche receptum eſt.
Accipe, quæ tua ſunt, regnumq: hac accipe parma!
Undalus illud idem poſcit: quæq; aurea cernis
Quæq; patent latè, *Lemiſaletumq;* vocamus,
Amiſſæ pretium, tibi dantur regna, Libriæ.
Dixerat: èq; tholo, Clypei prægrande refixit
Geſtamen, dextræq; Lechi commiſit habendum.
Tum verſa ad cunctos, quorum tunc copia facta èſt,
Vandalidas: Properate (INQUIT) ſors veſtra peracta.
Vandalidæ! ſacræ reverenter ad oſcula dextræ
Ite Lecho proni, Lachumq; agnoſcite veſtrum.
Hic Vir hic eſt; quem Vandaliæ Patremq; Ducemq;
Tot retro lapſæ ſortes promittere viſæ.
Jlle Lachus nobis ac ille advenerat Hoſpes,
Cûi vos, cûi orbis, venturaq; ſeriùs ætas
Deſperate parem: cûi ſi confertis avitos
Reges, dicetis: *Quàm noſter Vandalus infra eſt!*
In curſu ſermonis erat Regina futuri: XIV.
Cùm de Vandalidis unus, cûi nomen, *Arisbas*,
Extollens cum voce manum: Deſiſte monere
O Regina! (INQUIT) non hæc hortamine longo
Res eget: & ſuperûm, qui ſic voluêre, videmus
Vota peracta Deûm! Tuq; o Lache maxime nobis

Quot ſumus, in magnum promitteris,inclyte Regem.
Ut verum fatear, Lemiſaletana fuêre
Regna Duces exoſa diu; Dominiq; ſuperbi
Imperia, & ſceptri tanquam genus exitiale
Ante cavebamus: ſed Amor fraternus, utì Rex,
Jura dabat; titulìsq; pares nullumq; minorem
Aurea libertas ponebat in ordinis æquo.
Unus erat Senior, quo nomine fungor & ipſe,
Cûi fuerat ſed & hæc tanquam reverentia Patri.
At quoniam *Mutata perit cum tempore*, *rebus*
Una nec eſt facies, & Dìs Authoribûs orta
Lex ità præſcribit, Legem mutamus avitam.
Et quotus eſt, Slavo qui de cognomine nolit
Vandaliæ eſſe Caput? qui Slavus & abnuat ire?
Magnæ adſint à Fama Animæ, non ſceptra negamus.
Et quoniam talis tantusq; es Lache, capeſſe
Quæ tibi ſceptra dàmus: felix tua regna gubernes!
Nec ſatìs: ipſa feras ſceptrum regale, Polia,
Prima futurorum Mater Reginaq; Regum.
Dixit. Continuòq; omnes, ùt quemq; vocabat
Impetus, attollunt vocemq; caputq; manusq;
Vandalidæ; Patremq; Lachum, Regemq; ſalutant.
XV. Lachus agit grates, longisq; affatibus ADDIT:
O mihi, quo primùm Slavonia noſtra relicta eſt,
Momentum felix! Slavis licèt usq; vocarer,
Quo fueram primo dictus cognomine, *Lachus*;
Attamen in Patriæ nido defoſſus avito
Orbus & infelix Fortunæ forſitan eſſem
Neſcius ipſe meæ! Quænam hæc miracula cerno?
Ergo ſenectutis noſtræ Libria levamen
Tanti erat, amiſſam mihi penſaretis abundè
Ut Superi? poſtquam de mille Nepotibus una
Interiit, penſant jacturam mille Nepotes;
Con-

Conſpectuq; fruor venientûm, & noſco futuros
De Clypeo Reges! Quid? quòd promiſſa gubernîs
Regna meis veniunt? & de nunc exule, Regem
In modò factum abeo? nec me, peregrinus ùt adſim,
Vandalidæ dubitant Regni præponere ſummæ?
Quod video, facitis; Gens o clariſſima magni
Vandali! & in noſtra votô contenditis omnî
Ponere ſceptra manu! Facerent o Numina, poſſem
Ritè referre vices benefactis advena tantis!
Quò magìs ut præſtem, meriti mihi gratia veſtri
Vivet, & in memori ſemper narrabitur ævo.
Vivite Felices! nullo diſcrimine Sclavis
Vandalidæ miſti! communi fœdere junctas
Rexq; Paterq; regam Gentes; Populisq; duobus
Communis Princeps unum partîbor amorem.
Nec Libertatem minuo: Reſpublica ſtabit
Veſtra; regat Patriam, modò ritè, Senatus eandem,
Nunc quoniam tanti nemo niſi Jupiter Author
Eſt operis, peragenda Jovi ſunt ſacra, ſuasq;
Votivus ſanguis luſtret ſolenniter Aras.
Ite Sacerdotes; quâq; eſt nulla hoſtia major,
Albus inaurato taurus cadat hoſtia cornu.
Dixerat. Aſſensêre omnes: cadit hoſtia taurus XVI.
Victima grata Jovi; cujus dum viſcera ſacro
Ritu explorantur, non defuit omen in extis
Fauſtum illud felixq; Lacho, regnisq; futuris
Non defecturum quod abhinc promitteret ævum.
Ipſe Sacerdotis peragebat munia Lachus,
Thura dat ipſe Jovi, tingitq; altaria fuſo,
Quem bos mactatus dedit ad ſua ſacra, cruore.
Fit rogus indè ingens, flammîsq; parata crematur XVII.
Victima; quam circùm Pueri innuptæq; Puellæ,
Mos ùt erat, ſaliunt; ducuntq; ex arte choreas:

Utq; ſit hortamen ſalientibus, omnis Haruſpex
Myſtarumq; Chorus præcinctus tempora vittis,
Hæc canit aût iſtis metra pænè ſimillima metris:
Jupiter omnipotens, Cuſtos templiq; lociq;,
Quo Lemiſaleti tellus ſub Numine tuta eſt,
Fulmina cûi Aquilæ portant ad bella Miniſtra,
Jupiter, in terram qui noſtram lapſus Olympô es,
Adde metris robur; fac, irrita carmina ne ſint!
Eveniatq; Lacho; quod ei pia turba precamur:
Vivat, & immenſo felix Lachus imperet ævo!
Ne ſua regna cadant, avertat fulmine caſum,
Fulmine, quo Patriam Victor tueatur ab hoſte;
Quemq; Aquilæ torquent, ignē quoq; torqueat ipſe!
Sit ſua Poſteritas ſimili defenſa favore,
Quivè Duces venient, teneant felicia ſceptra,
Nec Fortuna Lachi videat priùs ultima finem,
Quàm priùs aût ætas aût magnus deſinat orbis!
XVIII Hæc & plura canunt: Feſtis ſolennibus addit
Sol quoq; lætitiam, pura qui luce diei
Aureus & conſtans ſolitôq; ſerenior ibat.
Vix tandem monuit, debere quieſcere curas,
Inclinata dies; quæ tempore fecit eodem, ut
Ceſſarent plauſus, & haberent gaudia finem.

ARGU-

ARGUMENTUM Libri 6ti.

I. *Ludis celebrandis in Lemiſaleto, area commoda & apparatus deſcribitur.* II. *Omen ex prætervolantis aquilæ lapſu in vexillum, pro meta ludis defixum.* III. *Lachus, antiquum de Colchide ſtemma Velleris aurei, jubet in vexillis permutari Aquilæ effigie.* IV. *Slavi exornant vexilla ſtemmate Aquilæ.* (De ſtemmate Aquilæ à Lecho Inſtitutore; Sapieha in Annotat: Hiſt: f. 104. & 242. Crom: l. 2. Sarn: l. 4. f. 171. Ines in Lech: Rubeis &c.) V. *Lachus vexillum, effigie Aquilæ recenter decoratum, pro meta ludis defigit. Ludos celebrari imperat in gratiam novi Stemmatis.* VI. *Ludi ſolenniter celebrantur. In illis recenſentur præcipui Actores, & præmia à Lacho propoſita: ùt Inſigne Aquilæ Albæ, & Velleris Aurei.* (De ludis priſcis in Lechia, Crom: l. 3. Item de Ordine Equitum Aquilæ Albæ, à Lecho Inſtitutore &c: Sapieha in Annotat: Hiſt: f. 104. Item de Gebericho Principe aurei Velleris, Sarn: l. 4.) VII. *Lachi oratio ad ſuos, pro urbe extruenda in loco ludorum.* VIII. *Lachus, deliniat ſpatium urbi condendæ. Determinat appellationem Slavicam urbi* Gniezdo, *à nidis Aquilarum* IX. *Omen in conferendo urbi nomine.* X. *Lachus ponit primum lapidem Titularem urbi ædificandæ.* XI. *Urbs Gneſna ædificatur, Regni & literarū*

prima ſedes. (De Urbe Gniezdo, à Lacho fundata, deq; ejus appellatione Slavica à nidis Aquilarum; Sarn: l. 4. f. 17. Crom: l. 2. Ines in Lech: Neug: l. 1.) XII. *Polia, ex Lacho quærit cauſam, geſtati in pectore Velleris aurei.* XIII. *Lachus reſpondet : & narrat hiſtoriam de origine Slavicæ Gentis à Colchide. De Vellere aureo, rapto per Jaſonem ex Colchide. De OEta, protunc Rege Colchorum. De expeditione navali Colchorum in Jaſonem. De iisdem Colchis, ad terras Illirici & Dalmatiæ appulſis ; & illic ſedem locantibus. De Slavorum ex iisdem Colchis Slavica appellatione; à Fama nominis & triumphorum. De ſuo, id eſt Lachi Patre Javano, ſive aliàs Annone, oriundo ex Colchis & Rege OEta. De ſtemate Velleris aurei, Slavis poſthac uſitato ; & de cauſa hujus.* (De hac origine Slavorum à Colchis, Sarn: l. 1. item l. 4. & 5. Crom: l. 1. c. 13. Neug: l. 1.) XIV. *Lachus, de ſuo nomine Slavos appellat Lachos ſive Polachos.* (De Slavica à Lacho derivatione nominis LACHY, POLACHY, POLACY : Crom: l. 1. c. 16. Opalinius in Defenſa Polonia contra Barclaium. Neug: l. 1. & 2. Dom: Rubeis, in Tab: Chronol:) XV. *Recentes è Slavis Polachy, applaudunt nominis appellationi derivatæ à Lacho.* XVI. *Acuit plaudentium lætitiam, canens ad cytharam Vates Gratinus.* XVII. *Poſt cytharæ ſymphoniam & cantum, ſpectaculô Gneſnæ creſcentis & operâ occupantur Polachy, Lachus, Polia.*

LIBER VI.

SACRA ſuo ſunt facta Jovi. Pars maxima reſtat I.
Lætitiæ, & Lacho qui jam celebrentur honores.
Arcis ab introitu vacuum dabat eminus orbem
Area plana, ingens, magnumq; imitata theatrum:
Et qui lactandæ plebi ſpectacula Circus
Reddere poſſet, erat; proſpectu ſuavis, & herbæ
Gramine verſicolor, cinctusq; paluſtribûs undîs.
Umbra aderat campo, viridis quem more coronæ
Lunato amplexu claudebant arbuta circùm.
Egregium viſu ſpatium nec inutile ludis!
Convenêre illuc, lucis jam fortê ſecundæ
Poſt epulas mediumq; diem, Lachusq; ſuoq;
Cum comitum Regina choro: venêre parati
Vandalidæ, venêre Slavis permiſta Juventus,
Stare Palæſtritæ juſſi, quibus æmulus ardor
Sêu jaculô metam deprêndere, ſive ſagittâ,
Sêu in equis curſuq; pedum rapidisq, quadrigis
Aurea ad emeritæ contendere præmia palmæ.

Meta

Meta locanda fuit; locat hanc in ceſpite Lachus,
Et labarum de Signiferi moderamine raptum
Limite defigit certo. Stant agmina, primæ
Ad cantum ſuſpenſa tubæ: calor omnibus idem
Ire priùs, metamq; gradu propiore tenere:
Se pariter metuunt; & qui timet, ipſe timetur
Ne præeat Victor: pulchrum timor auget amorem
Præripiendæ aliis dubio certamine palmæ.

II. Nondum erat, ut caneret curſûs cava buccina ſignū;
Ex inopinato cùm magni corporis umbram
Projiciens, Aquilæq; ferens & nomina & ora,
Viſa venire ales; labaroq; in ceſpite fixo
Deſuper intendens oculos, ſe flexit eundem
Sæpius in gyrum, nec quà deberet abibat,
Nec rectum per iter, ſed eosdem currit in orbes.
Quin velut ad ludos ſpectatrix ipſa veniret,
Deſilit in terram, labariq; in culmine ſedit;
Et plauſit pennis; & viſa eſt clangere roſtrô,
Hac illac circumſpiciens, quid ſcena pararet.

III. Quo gaudere Lachus, Slavisq; applaudere poſſet,
Hoc fuit: Applaudit! tollensq; ad ſidera palmas:
Hoc erat, hoc, (INQUIT) vobis quod fortè precarer
Eveniſſe, Slavi! fortes ad ſigna venirent
Ut nobis Aquilæ; caperetq; ex fulmine vires
Nec niſi ab hoc noſtrum fulgeret ſtemmate regnū!
Ambigua quod mente Lachus, tacitusq; premebam,
Eſſe ratum Superis deprênditur! alta venire
Spectatisnè Aquilam vexilli in ſtemmata noſtri?
Vênit, & ungue tenet, quæ vos vexilla tenetis.
Salve ſtemma ſacrum, ſplendoris imago futuri!
Non, mihi ſi veniant poſiti ad præſagia regni
Romuleæ volucres, biſſeno vulture tantum
Promiſiſſe Slavis valeam, fauſtiſſima quantum

Hæc

Hæc mihi ſpondet avis! Felix, mihi credite, felix
Omen adeſt, Cives! Slavîs modò deniq; fama
Créſcet in immenſum, magnæq; volabimus usq;
Ad Superos virtute Aquilæ; quodq; illa feroci
Ungue gerit fulmen, fulmen geſtabimus ipſi!
Quod magis ut nobis in poſtera ſæcula votum
Numine firmetur, procul hinc Inſignia priſca
Velleris aurati, quæ Colchica geſſimus olim,
Demite Vexillis: veniant in Signa Slavonum
Audaces Aquilæ, Regni grave ſtemma futuri.
Ne verò teneam vos ſolo hortamine, Cives,
Quod jubeo, primus peragam: faciendo docebo
Quid fieri expediat, quid nunc jubeamvè velimvè.
Jamq; adeò labaro, metam quod in aggere fixi,
Albæ Aquilæ effigiem Lachus ſolenniter addam, ut
Sim Patriæ Regniq; Parens & Stemmatis Author.

Dum loquitur Lachus; vexilla nitentia campô IV.
Quotquot erant, veteri ſpoliantur imagine: çeu *Fit*
Sæpè Vetuſtati finis, novitatis amore.
Hactenus effigies, vexilla per omnia Slavûm,
Velleris aurati manſit; ſtirpemq; vetuſtam
Colchide quam traherent, Inſigne docebat avitum.
Nunc, quoniam Lachus Princeps, & in ipſius olim
Jura Vetuſtatis novitas abitura monebat,
Stemmatis antiqui ſenium decorisq; prioris
Canitiem ponunt Sclavi; vexilla recenti
Stemmate depingunt, *Aquilæq;* Inſignibûs ornant.
Fulſerunt vexilla, Aquilis! nec inertis imago
Pondus habebat avis; credas jam velle volare
In pugnam volucres, ſpirare imitamine Martem,
In bellumq; rapi pennîs, & velle timeri,
Neſcio quo vires animante medullitùs igne.
Scilicet ùt belli tetigerunt ſigna notasq;,

Penè

Pænè videbantur ſibi tunc demum eſſe Miniſtræ
Fulminis, atq; Aquilìs plus poſſe in prælia verìs.
Quid poterunt Slavi, ſi tantum in ſtemmate poſſunt?
V. At Lachus ante alios, *Aquilæ* memorabile Stemma
Appendit labaro; labarô deſignat eodem
Metam venturis grato certamine ludis.
Celſior indè locô, dextrâq; ſilentia poſcens:
Quem mihi nunc (INQUIT) Cives certatis honorem,
Hûic date! (DICENDO, MONSTRAVIT IN AGGERE FIXAM
CUM VEXILLO AQUILAM) celebretur Olympias iſti,
Dum veſtit mea Signa, Aquilæ: non Vellus ademptũ
Eſt vobis, Aquilæ regali in corde geretur.
Stemma novum, Heròés, quod nulla aboleverit ætas,
Non ſinit ire diem ſinè plauſu: reddere fas eſt
Quod depoſcit honos Aquilæ veſtræq; meæq;.
Reddite; & Inſigni manſurum in nomen ituro
Certatim bini ſolennes additę lúdos.
Præmia diſponam Victoribus: ordine facto
Sive Pedes sêu vincat Eques, sêu fortè ſagittâ
Eminùs aût jaculô; nullum ſua palma ſuumq;
Decipiet meritum: cum fenore palma feretur.
VI. Dixit: & exiguo poſt tempore, buccina clarum
Certandis ludis ſignum dedit. Ilicet omnis
Turba fremit, campumq; ineunt cataphracta Juventꝰ.
Primus honor Slavos vocat ad certamen Equeſtre:
Prorumpunt duo de multis; Carvaccius alter
Alter Alamphilarez; cita mittere doctus uterq;
Tela, manuq; ſequi; curſuq; per àéra miſſas
Antevenire haſtas & prêndere: ne priùs haſtis
Quàm ſibi propoſitam liceat contingere metam.
Ergo ubi fulmineum rapuêre in pulvere paſſum,
Mittit uterq; haſtam: volat illa ex arte, ſcopumq;
Tendit in adverſum, quà ſtabat in aggere ſignum.
Ante

Ante ſed, ad metam quàm miſſilis haſta veniret,
Præveniunt illi, capiuntq; ex äere telum
Quisq; ſuum; & quanta valuerunt tempore parvo
Dexteritate manûs, adversis frontibûs ambo
Adversîsq; haſtis ſe contra hoſtiliter ibant.
Concurrunt: quanto connititur impete præceps
Cum fluctu fluctus, cumq; acri fulmine fulmen.
Nêuter erat læſus; tamen utraq; parma duorum
Vulnera pro Dominis tulerat; ſimul utraq; conti
Fraxinus, occurſu parmæ rigidiq; metalli,
Sciuditur in centum per propria vulnera partes.
Victor uterq; & nêuter erat; certamine ludi
Fecerat æquales virtus: æqualia Lachus
Præmia reddit huic, æqualia reddit & illi.
Baltheus in gemmis, Aquilæq; ab imagine pictæ
Pulcher, utriq; datur; fiunt concorditer ambo
Albæ Equites Aquilæ, Patriamq; in ſtemmate geſtant.
Par & Vandalidis ardor; rapidîsq; quadrigîs
Certatur, curſuq; pedum, volucriq; ſagitta.
Cûiq; ſua eſt merces: galeam capit hic, capit ille
Loricam aût enſem: ſed qui certamine palmam
Primus ad emeritam contenderat, omnibûs antêit
Mercedis pretiô Geberichus, & ordine honoris:
Hûic datur, aurati qui ſtemmate Velleris ardet,
Baltheus; atq; *Equitem* deſignat *Velleris aurêi.*

Ut tandem impoſita eſt longis manus ultima ludis, VII.
Lachus ad adſtantes ſic ſummo è ceſpite FATUR:
Grande vetuſtati nomen, quod deleat ætas
Nulla, quod à longa ſit Poſteritate legendum,
Fecimus o Slavi! dum tempus & orbis & ætas
Stabit, ab Alba Aquila deductum ſtemma manebit:
Fine caret virtus, et, quod facit illa, perenne eſt.

Nec

Cujus ab imperio dum regna videbitis olim
Maxima, dicetis: *Quàm parva Slavonia noſtra eſt*!
Dixerat: Atq; illis clamore petentibûs urbem, VIII.
Albô invectus equô, ſumptâ deliniat haſtâ
Plantam; & condendæ ſpatium determinat urbi:
Quovè loco templum, quo mœnia, quo ſpeciatim
Curia ponenda eſt, docet ordine ſingula Lachus.
Mox ut agant foſſas, voce imperat, Atq; ita FATUR:
Forſan adhuc, urbi quæ nomina danda ſuperſint,
Quæretis Cives? quæcunq; vocabula dentur,
Confiteor, petitis vix edicenda: nec urbem
Condere res minor eſt, urbi quàm condere nomen.
Me certè docuêre Aquilæ, nidiq; loquaces
Hìc poſitarum avium (nec abeſt grande omen in illis)
Ut velut hæ volucres ventura in ſæcula proli
Nidificant; noſtra ſic Urbe Nepotibus alter
Ponatur Nidus, ſimilesq; per omnia cunæ.
Nomen erit fietq; ex re, ſi Nidus habebit
Urbs quoq; nomen idem, titulusq; ſit unus utriq;.
Utq; pares Aquilas in Stemma vocavimus aptum,
Utq; & Poſteritas, aquilarum more modôq;
Naſcatur nobis; ſic, quam modò condimus Urbem,
Gniezdo ſonet nomen Slavis, Nidusq; vocetur.
Si tamen hoc ſit adhuc dubitabile Nomen, ab ipſis
Me Duce conſilium per Sacra requirite Divis,
Nomine quo jubeant Urbem donare futuram.
Hæc ait: utq; Jovi repetita piacula dentur, IX.
Imperat & flammas, &, taurus ut hoſtia fiat.
Quercus erat carieq; tremens ventôq; recentî,
Cujus & in ramo nidus pendebat adeso,
Teſtatus gravitate Aquilam cum prole ſedentem.
Hìc ubi ſuppoſitus raptim depaſcitur ignis

Vi-

Cumq; ætate memor geſtorum gloria; poſthac
Nî monumento aliquo durent & ſcripta legantur.
Ut ſepelire velit ſæclorum oblivio cuncta,
Non ſepelit famam, quoties hæc firmior exſtat
Marmore; ſed nũquã, niſi marmore raſa perennet,
Firma potensq; ſuî eſt: monimentîs vivitur iſtîs.
Noſcitur Amphion de mœnibus, arte canentis
Dum cytharæ rupes ſalientes doctus in orbem
Ducere, perpetuo muniret nomine famam.
Nunquid & Alcides poſitîs immanè columnîs
Claruit? at ſolis ſunt meta laboribus illæ,
Non famæ: Herculeum ſupra mare currit & ultra
Quod Poſitor tanto ſolidavit munere Nomen.
Cernitis ùt Septem mundi Miracula, magno
Nomine ſe jactent? ſint quàmvis rudera, ſintq;
Antiqui fragmenta Operis; tamen ipſa ruina,
Ingenti poſtquàm ſepeliverat omnia clade,
Non ſepelit famam. Vel funere claruit ipſo
Romulus & Remus; magnæ dum poneret ille,
Iſte minùs cautus rideret mœnia Romæ.
Vos quoq; ſi ſimili non deſtituendus honore
Tangit amor Famæ, nova ponite mœnia Gneſnæ.
Vivat ut æternîs Sclavorum gloria Faſtîs.
Sic ait: & cœptis Polia incumbere mandat,
Atq; tabernâclum nunc hoc nunc acta per illud
Hortatumq; operi calcarq; laboribus addit.
Qualis apum Mater, quæ ſuaviter imperioſa
Ordinat ancillas, ut apis ſimul omnis ad unam
Frangat in arte artes; Albamq; nepotibus urbem
Venturis, dulces & fabricet ordine cellas.
Sic operi inſtat ovans Polia; ſed omnia cernens

Ad

Ad decus & votum ſuccedere; tecta reducit
In ſua ſe retro, Lachumq; Penatibus infert.

Jlle licèt ſequitur, tamen ad nova mœnia Gneſnæ XII.
Reſpicit; & repetens iterumq; iterumq; feneſtram,
Lætitiâq; ſatur, conſpectu paſcitur urbis.
Cujus ùt aſpexit Polia in pectore *Vellus*
Aureum: Adornandi tibi quæ Lache pectoris iſto
Vellere cauſa? (INQVIT) nisì fallor, originis iſtud
Eſt nota geſtamen, patriumq; Inſigne, vetusq;
Stemma; palam nuper Slava quod vexilla tulêre.
Quæ ſit origo tamen cum Vellere ſtemmatis? ardens
Mens mea ſcire cupit; cupidam ignaramq; doceto.

Debita poſcis, (AIT LACHUS) nec demoror aurem XIII.
Notitiamq; Polia tuam: nunc ordine diſces,
Jllenè ſim clara venturus Colchide Lachus,
Auguriis Vatum veſter quem Vandalus olim
Affore crediderat. Dum quæris, quæ ſit origo
Velleris, è noſtro pendentis pectore? eadem
Et Genus & Sclavam diſces ab origine Stirpem.
Nôſſe vetuſtatem cunarum ſanguinis alti
Quem non urit amor? ſed quanta Minoribus ortis
Scire cupido ſuum; *tam debita Patribus inſtat*
Cura, docere Genus, primosq; evolvere Faſtos.
Sed quoniam cunctos res poſtulat iſta Nepotes,
Cuncti adhibete animos cum Slavis Vandala Pubes.

Hæc ait: Atq; illum circumfundente corona
Patritiorum; iterum placido SIC INCIPIT ORE:
Velleris aurati pretium, quod venditat orbis,
Fabula viſa diu eſt: Famæ ſed multa canenti
Si jam nulla fides, cur Reges pectore geſtant
Jllud idem auratum, quod dictum eſt Fabula, Vellus?

Fingitur ex vero, rebusq; ſimillima geſtis
Ingenii ſcena eſt; partemq; abſcondita veri
Fabula ſemper habet. Certè ſi dentibûs aurêis
Naſci hominem potuiſſe, aût monſtri mille figurîs,
Hiſtoriæ tradunt; non eſt, cur Velleris aurêi,
Figmentum credatur, Ovis: Vatum otia quàmvis
Addiderint aliquid; non eſt dubitabile, natam
Colchidis in regno pretioſi Velleris agnam.
Nata eſt, & Vellus poſt funera ſera reliquit,
Servandæq; fuit cuſtodia plurima lanæ.
Quid prodeſt magnis cura & cuſtodia lucris?
Cura vocat furem: magnisq; pericula rebus
Maxima ſunt! Jllud totius Colchidis illud
Depoſitum, textam pretioſo Vellere lanam,
De Duce fur rapuit, prima rate vectus, Iaſon!
Sceptra ſuæ protunc Rex Colchidis *Æta* regebat:
Qui ſimul ac furtum deprêndit Jaſonis; omni
Claſſe ſequi furem, regniq; effundere vires,
Se, parat, excepto. Colchi quoq; Rege jubente
(Dux erat his *Perſes*) inſtructa claſſe volentes
Æquora corripiunt, rapturi à Jaſone prædam.
Hêu! quibûs indè malîs, quêis tempeſtatibûs acti
Errarunt procul à Patria! nec Jaſonis usquam
Cernere poſſe fugam, nec poſſe redire Penates
Ad patrios licuit! nec, ſi rediiſſe daretur,
Fas erat infectîs remeare ad littora rebûs!
Scilicet irato Rex implacabilis OEta
In reduces fureret, quibus unda pepercerat, enſe.
Jamq; labore viæ fracti, quascunq; tenere
Suſpirant terras, & cunctos tædet aquarum.
Vênit amica dies, qua longè è puppibus altis
Jlliri-

Jlliricum vidêre ſolum, terrasq; propinquæ
Dalmatiæ, et, pandit quos juncta Croatia, portus.
Ut loca laudârunt, figunt tentoria primò,
Tum ſedem *Polamq;* locant concorditer urbem
Obliti Patriæ: placuit nova terra, diuq; eſt
Jlla peregrinis habitata colonia Colchis.
Tempore res parvæ creſcunt: nec fontibus idem
Principio, profert qui poſthac impetus undas.
Pars modò qui fuerant & parva & naufraga Colchi,
Creverunt bellîs, indefeſſisq; triumphîs,
Et famâ per utrumq; orbem veteremq; novumq;
Ignotasq; plagas. Romanos poſſe quis unquam
Crederet à Colchis vinci? viciſſe feruntur
Romanos Colchi; Latiasq; per aſpera bella
Perdomuêre Aquilas: nec erat terræ angulus usquã,
Quem non virtutis, quem non & Nominis alti
Implêſſent famâ: *Famæ* de nomine Nomen
Accipiunt; *Slaviq;* dehinc cœpere vocari,
Nomine Colchorum poſito. Tum creſcere ſenſim
In majus cœpêre decus; cognomen ut altum
Aſſereret ſibi quisq; manu, comitemq; recepti
Nominis & Famæ linguam committeret orbi
Plus medio; Slavi terræ audirentur ut omni.
Ex his, atq; *OEtæ* deſcendens ſanguine longo
Javanus Princeps, nomen cûi. *Anno*, ſecundum,
Famâ opibûsq; potens, de Conjuge procreat *Herſã*
Meq; Lechum Czechumq; Parens: à Colchide *Lachũ*
Nomine me Slavo modò dicens, & modò *Lechum*
Molliùs; ut geminum nomen, velut ille, referrem.
Ut verò Natos ad maxima & ardua quæq;
Formaret prudens Genitor, ſæpè ille docebat
Nos Genus ipſe ſuum, Colchæq; Inſignia Stirpis,

Et Proavos Regemq; OEtam: nec damna ſilebat
Velleris aurati, cujus conſtanter amore
Implebat Slavos; repetendi (ubicunq; fuiſſet)
Muneris hortator: namq; illo Vellere Stemma
Eſſe Slavis natum, Javanus rettulit idem:
Remq; probans factis, quod commendavit, avebat
Pectore ferre Parens; &, geſtaremus ut ipſi
Illud idem Vellus, toties totiesq; monebat.
Paruimus Patri; geſtatum eſt pectore nobis
Velleris aurati decus; et, quæ noſtra merebant
Signa, ſub hoc tantùm geſtamine ſigna merebant.
Hactenus at licuit; quando melioribûs uti
Noſtra decet Vexilla Aquilîs in Stemma receptîs.
Velleris aurati videor deprêndere munus,
Quando Aquilîs reperi tradentibûs aurea regna.
Hêu! quantò felix quantòq; beatior eſſem,
Quemvè Repertorem me ſcirem Velleris aurêi,
Si mihi, quæ periir, Libria reperta fuiſſet!
Nam memini, quòd & hanc, teneri Genitoris amore
Mitis adulator, cognomine *Velleris aurêi*
Cenſebam Lachus; per blanditiasq; Paternas
Auratum in Libria jactabam Vellus haberi!
Defuit hoc unum! ſed & hoc abſente videbor
Inventîs Aquilîs Vellus reperiſſe cupitum.
Jamq; adeò Sclavæ didiciſtis originis ortum:
Quod Genus, unde Slavi, quæ Colchica regna, quis OEta,
Auratumvè Slavis dederit cur Stemmata Vellus?
XIV. Nunc quoniam vobis mutavi Stemmata Lachus,
Fas, Nomen mutare vetus! Dum Conditor Urbem
Conſtituo, & Patriam, Regnumq; & Stēmata Regni,
Civibus æterni ſim Nominis Author, oportet.
Idq;

Idq́; quod eſſe poteſt, quàm noſtro é Nomine Nomē?
Lechia de Lecho dicenda eſt Patria præſens!
Et, modò quos Slavos, quos Vandalidasq́; vocamus,
Nomine concordes ut conveniatis eodem,
De Lacho PoLachy natum deducite Nomen!
Si qua tamen ducit ſuſpiria littera, poſthac
Tempore felici ſextam abraſiſſe licebit:
Sint licèt infenſæ, quæ me ſuſpiria Gentes
Ducere vosq́; velint, & dicant nomine *Lachos*.
Slavica nec vobis noſtro Cognomine Cives
Nomina vanuerint: tum Slavos eſſe patebit
Vos magìs, è Slavicæ dum conſuetudine vocis
De Lacho Polachos cognoſcet & audiet orbis.
Nec mihi (juro Deos!) jactantia quæritur iſthinc
Ulla, nec inſolito mos introducitur uſu:
Cûi non ætati, Majorum Nomina ferre,
Uſus erat? Nulli ſua ſit non chara Vetuſtas.
Conſulite Annales: ſic ex Antenore dicti
Bellaces Antenoridæ; ſic nomina magnus
Æneadis dedit Æneas; & Romulus Author
Romulidas dixit, quêis Romam condidit Urbem.
Hos quoq́; Vandalidas magnus tunc Vandalus alto
Ornavit titulô, cùm regna veniret in iſta.
Forſan & à noſtro venient cognomina Fratre,
Deq́; Czecho fient, Gens collactanea, Czechy.
Scilicet antiquo cenſeri nomine Patrum,
Poſteritatis opus gratæ eſt, & pulcher avitam
Ambitus in laudem, vitiiq́; ſuperbia ſancti.
Temnitis? & Lachi fama eſt Nomenq́; pudori?
Deq́; *Lacho Polachos* non Slava vocabula reddent?
Finiit. Jlli autem conſenſu dicta probante XV.

Unanimes tollunt vocemq;, manusq;, caputq;,
Applauduntq; novis titulis, & nomine ſe ſe
Inq; vicem *Lachos* per mutua verba ſalutant,
Inq; vicem *Polachos:* omni meminêre Parentis
In ſermone Lachi; Nomen ne quando ſileret
Tam grande, at potiùs cunctis clareſcere natum
Gentibus, in memoris famam deſcenderet ævi.
Hæc inter, poſitìs renovant convivia menſìs;
Poſtq; dapes interq; dapes alterna propinant
Pocula certatim: pateramq; hinc indè tenentes
Exclamant: *Vivant* PoLachy*!* concorditer omnes;
Vivat io! LACHUS! noſtri Cognominis Author!
XVI. Inſtruit indè chelyn Vates Gratinus, & artem
Elicit ad numeros percuſsìs pollice chordìs:
Ut tamen & vario modulamine mulceat aures,
Alternat cum voce Lyram, Slavicoq; tenore
Sic canit, & cytharæ facit intervalla loquaci:
Vive diu Ductor, felixq; aſſueſce vocari,
Qui Lachus à Colcha deducis origine Stirpem;
Velleris aurati tu diceris Hoſpes & Hæres,
Famæ Hæres idem, cûi ſunt, ſua Fama, triumphi;
Tu Patriæ Pater es, Regnum tu condis & Urbem,
Tu Muſis ſedem prima quoq; ponis in Urbe:
Et venit huc Pallas; locus eſt neq; gratior illi
Quàm Regno & Muſis qui det cunabula primus.
O! & Phœbe tuô, o! & Martis honore colendum,
Bellica cûi Martis cûi ſervit laurea Phœbi!
Jlle etiam Regno manſuros condit honores,
Et Lechus eſt, Aquilas qui Slavum in Stēma vocavit;
Et Lachus *eſt, à quo* Lachy *quoq; nomen habemus,*
Deq; *Lacho PoLachos* mirabitur integer orbis!
Vivite Felices Polachy*! vivamus & ipſi*

Quos

Alcon, Frater Diridani. Vindictæ in Lechum multiformiter à Diridano ſtructæ ſeries & eventus. Deprædatio templi Lemiſaletani. Sors capti Lechi, & ejusdem decreta in littus Danum deportatio. Tandem, in ipſum Viſimirum inſidiæ, & machinatio commendata Fratri Lago. XV. *Poſt lectam epiſtolam, violentîs affectibûs turbatur Viſimirus. In Diridanum jactat diras; captivum illi hactenus teneri Lechum ratus. Sibi metuit: & nomine Viſimiri mutato, ſe Lechdanum appellari præcipit.* XVI. *Lechdanus ex Viſimiro recens, ingeniô utitur; repoſcens Lechum à Sivardo Rege Danico, per Legatum Liſiarchum.* XVII. *Regia Sivardi, læta ex pulſo nuper Palæmone à Littore.* XVIII. *Liſiarchi Legati adventus & oratio ad Sivardum.* XIX. *Sivardus, Liſiarchi poſtulatîs offenſus, arma parat in Lechdanum. Liſiarchum præcipitari in aquas, imperat. Peragunt juſſa famuli.* XX. *Pugna navalis Sivardi Danici cum Slavis & Lechdano.* XXI. *Sivardus vincitur.* (De præliis navalibus Viſimiri & victoriis, ex Sivardo Danico reportatis. Crom: l. 2. de Lecho. Saxo in Dan: l. 8. Guag: f. 8. Sarn: l. 4. Neug: l. 2. Ines in Lech.:) XXII. *Lechdanus Victor, latè vaſtat finitimas provincias, nîl proficiente Sivardo.* XXIII. *Jamericus, Sivardi Filius, præliô navali ſuperatus, capitur à Lechdano, latè victorias promovente.* (De Jamerico, Sivardi Filio, capto in prælio à Viſimiro. Crom: l. 2.) XXIV. *Innuitur tempus, quo Geberichus ad veſtigandum Viſimirum olim à Lecho miſſus, ad littora Dana venerat. Sed malè habitus, & audito Lechdani nomine deceptus, rediit infectîs rebûs in Vandaliam; erroneèq; informavit Lechum; prout ante dictum lib: 5.* *LI-*

LIBER VII.

I. HUC ades o Viſimir! vultumq; diuq; latentem
Spem reddas aliquando tuî! Solennia Lachus
Te ſinè cur peragit? ſoli cur iſta negatur
Hora tibi? nec ades feſtis Conviva Paternis?
Quòdſi Lechæi vidiſſes ſemina regni,
Magnorumq; operum comes & ſpectator adeſſes,
Quanta Lacho, Gneſnæq; urbi, Polachisq;, tibiq;
Gaudia creviſſent! Hoc invida ſuſtulit unum
Sors Lacho; *Careant quævis ut gaudia parte!*

II. Henetico claſſem Viſimir de littore ſolvens
Ibat, ut amiſſum deprênderet æquore Patrem.
Quot maria & ſyrtes ſuperaverat ille! quis illi
Intactus rate portus erat? fuit ullanè ponto
Inſula, quam novus hic undarum ſpretor Ulyſſes
Non de reddendo Genitore requireret omnem?
Spes erat, in Sclavæ regionis cardine Lechum
Poſſe reſarciri: claſſem Slavonica versùs
Littora, nare jubet; Patriæq; advertere proras.

Obſtitit unda nocens votis; & poſſe reverti
Eripuêre truces, quæ ſurrexêre, procellæ.
Infelix rapitur Viſimir, quà fluctus in ipſum
Avolat oceanum, Gadesq; ad terga relinquit.
Dum rapitur, nec, quæ voluit, citus æquora radit, III.
Ecce rates patuêre procul! viſa altera claſſis
E longo rabieq; pari, paribûsq; procellîs
Jactari! putat eſſe tuas Leche Viſimir alnos,
Atq; AIT: O Socii, ſævis ignoſcite ventis!
Non venit in cladem tempeſtas iſta: nocendo
Prodeſt, atq; bonîs commota eſt undiq; Divîs.
Spectatisnè rates, nimiùmq; ſimillima noſtris
Suppara? nec Sclavis diverſas puppibus alnos!
Nî fallor, vehit illa meum, vehit obvia Patrem
Claſſis; & eſt illic quod quærimus! addite ventos
Vota novos! minimum eſt quòd ſic divellimur orbe
A patrio, dum Patre Lecho potiamur adempto!
Sic ait; & ſequitur fugitivas æquore puppes;
Quamq; priùs Diris devoverat, invocat auram,
Invocat & fluctus, & penſat amore furores,
Ire comes ventis cupidus, cupidusq; præire.
Non claſſis fuit illa Lechi: dabat æquore tonſas IV.
Italià profugus, ſic ſorte ferente, Palæmon,
Sanguine Romanus claro, quondamq; futurus
Author Littaliæ, cûi hæc modò nomina defert.
Qui ſimul ignotas ùt tergo accedere naves
Viderat; extimuit primò: jam jamq; parabat
Ipſe ſuîs comitumq; armîs defendere vitam.
Interea cum claſſe aderat Viſimirus; & uſum V.
Dante oculis ſenſim deferveſcente procella,
Aſpicit ignotas Ductore Palæmone proras,
Aſpicit & gladios in bella & vulnera ſtrictos;

Seq;

Seq; erràſſe dolet, ferrumq; hinc indè parantes
Admirans Italos, PUPPI PROCLAMAT AB ALTA:
O quicunq; eſtis, qui nos hoſtilia contra
Stringitis arma manu, crudeli parcite ferro!
Non bellum, pacem ferimus; nec ſponte carinas
Conſequimur veſtras: longè latèq; per æquor
Jactatos, iſthuc tempeſtas egit & error;

VI. Arma (REFERT PALMON) tutandæ cura ſalutis
Stringere quemq; jubet. Cùm paſſim ferveat orbis
Cædibûs innumerîs, belliq; tumultibûs; omnis
Quisquis adeſt, hoſtis nunc creditur: *Ipſa timeri*
Umbra ſolet cautis. Ignoſcite, ſi velut hoſte
Armamur viſo: non hic tamen enſis amicos
Oderit; & pacem, pacem quærentibus, offert:
Quam quoniam placido vultu præfertis amici,
Salvete; & proras noſtris advertite proris.

Dixerat. Utq; rates ratibus coiêre propinquis,
Utq; ſalutârunt ſe ſe ordine: *Qua regione,*
Veſtra (rogat Palmon) *claſſis venit? unde petîſtis*
Æquora? quovè illo de littore? Sclavica cerno,
Nî fallor, vexilla; libet cognoſcere Slavos,
An tamen hi ſitis, dubito: ſed dicite tandem.

VII. Gens ſumus è Sclava (VISIMIRUS REDDIDIT) ora;
Cûi loqueris, Lechi ſum Filius: illius ergò
Velificamur aquîs, & quærimus æquore Patrem.
Scilicet ut furtô raptam, ſibi redderet Ultor
Libriam Lechus, ſe meq; Czechumq; ſequaces
Præcipites egit, repetendæ captus amore
Et ſtudiô Gnatæ. Sed enim Fortuna nocendo
Aucta eſt, & damnô geminatô amittimur omnes!
Tempeſtas Lecho Natum abſtulit; abſtulit unà
Viſmiro Patrem! nec quem cupioq; fleoq;

Hacte-

Hactenus invenio! lapſis ſuccurrere rebus
Nulla Diis cura eſt, & deſperare jubemur!
O nimiùm dilecte Patri Viſimire! (PALÆMON VIII.
VERBA REFERT) Tunè ille Lechi, ſpes maxima, Natҫ?
Tunè Slavus? terràq; mihi noſcendus amicâ
Præſtò ades? ah quantû vellem, mihi fœdere priſcæ
Junctus amicitiæ præſtò quoq; Lechus adeſſet!
Non ignota mihi Slavonia! quemvè Parentém
Tu Viſimire vocas, priſco mihi cognitus uſu eſt!
Nam memini, primîs cùm me juveniliter annîs
Cepit amor luſtrandi orbis; tunc advena veſtris
Hoſpes eram terris, ſanctæq; humaniter aulæ
Nos Lechus hoſpitiô dignari primus avebat,
Hoſpite me lætus: tanti capiebar amici
Officiô, & fecit ſibi me quoq; Lechus amicum.
Parvus eras Viſimir, vix & qui ludere vultus
Tu Puer ante meos poſſes, teneraq; vocare
Voce Patrem, & blandus tua verba reponere noſtris;
Interdumq; meas, interdum Patris in ulnas
Tollebare infans, & eras geſtatus utriq;.
Cur modò non ambos video, Natumq; Patremq;?
Et Viſimir ſinè Patre venis? utinamq; careres
Vivo illo, parsq; iſta foret jam ſumma malorum!
Sed tibi (quod nollem) gravioris fulminis adſum
Nuntius, & venio tibi luctûs cauſa ſecundî!
Fama eſt: *Sclavoniam, juxtà civilibûs atq;*
Externîs arſiſſe odiîs; Civesq; ruinâ
Conſepeliſſe ſuâ! raptum quoq; funere eodem
Cum Patria Lechum, rumor vulgaverat idem!
Namq; redux Iſthmô, Patriæ dum ferre laborat
Ultor opem, bellîs malè fortis & acer iniquîs
Interiit! dubium, ferrô ſitnè hauſtus an undîs!
Palluit

IX. Palluit auditis Viſimir, vocemq; dolentemq;
Incluſit cum voce animam; qua ſerò recepta:
Usq; adeònè noces (CLAMAVIT) Slavica nobis
Terra, neç internæ capiunt te tædia ſtragis!
O inviſa bonis tellus! o nomine ſemper
Digna novercali, titulos quæ Matris habebas!
Terra peri! me non reducem civemq; videbis
Ampliùs! ire piget, terramq; reviſere noſtrîs
Cladibûs infamem, damnìsq; & funere Lechi!
Quæram alios portus; & quæ tutiſſima tellus
Fraude malîsq; vacat, Viſimiro Patria fiet.
Eſte Duces Superi, littusq; aperite beatum!
Tu modò qui Lechi noſtram Narrator ad aurem
Fata refers, refer unde venis? quæ Patria amicum
Te Lecho genuit? quo nomine diceris? & cur
More, petis, fugientis, aquas? quærisnè ſalutem
Rebus in adverſis, & mutas littore littus?

X. Talia quærenti, reſpondens triſtè Palæmon:
Gente, ſcias, (INQUIT) Latiâ ſumus: Itala tellus
Me genuit; Romæq; vocor Latioq; Palæmon.
Italiâ profugus, more exulis, erro Palæmon,
Qui Romanus eram, qui primos pænè ferebar
Mille Senatores inter non ultimus: ulli
Si favit Fortuna hominum, mihi plurima certè
Favit, deq; diu fueram felicibus unus.
Æternum nihil eſt rebus! Patriaq; cadente
Ipſe ſimul cecidi; cecidit ſimul Italus omnis!
Cauſa ruinæ, hoſtis: mundo qui triſte Flagellum
Attila Vaſtator dictus, Slavonica poſtquam
Armîs perdomuit, penetravit in Itala regna.
Turbine nîl illo violentius! obvia quæq;
More rapit flammæ, populosq;, urbesq;, domosq;
Sternit,

Sternit, & in noſtris ponit ſua regna ruinis.
Quid tunc aût poterat fieri, aût reſtabat agendum?
Quod miſeri, hoc facimus Romani rebus in arctis!
Diffugimus, quò quisq; poteſt; longumq; per orbem
Spargimur hàc illàc! Italorum transfuga partem
Claſſe ego ſubduco: quæ littora tangere detur,
Ignarus; metuensq; meî, metuensq; meorum!
Auguriîs, equidem Vatum, Litvania quædam
Nominis ignoti nobis promittitur: illa
Sitnè aliqua, an noſtro dicenda eſt nomine primùm,
Scire datur nulli! Tamen ire in littora quævis
Non gravor auſpicibûs Divîs; dum transfuga felix
Submoveam caput hoc, Patriæ labentis ab ictu.
Tu quoq;, quem ſimili jactat Fortuna furore,
Vade comes Viſimir; terram neq; reſpice Sclavam,
Attila quam ſub jure tenet: peregrina petamus
Regna pares, pacemq; loci, terrasq; beatas;
Pars bona ſortis erit, Patriæ non cernere cladem!
Imus (AIT VISIMIR) Duce te, quascunq;, Palæmon, XI.
In terras portusq; novos & inhoſpita regna!
Sæva Patris poſt fata mei, cùm Patris amicum
In te repperiam, mihi Patris habebere ritu.
Gnarus ût undarum tamen es, prior elige, ponti
Prætentare vias, mundiq; extrema, fidemq;
Littoris ignoti: nos teq; tuosq; ſequemur.
Inter verba, movet claſſem ſtatione Palæmon,
Et Littalanus de Patre Palæmone crêtus,
Par annîs par ore tibi Viſimire: Columna
Cæſar agit pariter Ductore Palæmone proras,
Cumq; Italis Itali: nulli ſua ſemita certa eſt
Quò fugiat, tamen eſt certus fugere omnibus ardor.
Jllos claſſe ſua ſequitur Viſimirus, & arctas

Deſerit à tergo Gades, Hiſpanaq; circùm
Littora transvehitur, longumq; ſupervolat æquor.
A dextra Gallos, lævaq; à parte Britannos
Præterit; adverſus, quas neſcit, Balthidis undas.

XII. Longo errore viæ, jam Balthidis oſtia tandem
Eluctatus erat quaſſata claſſe Palæmon.
Hêu miſer! à Slava poſthac quòd claſſe diremptus,
Jllo illo Daniæ fixiſſet littore proras,
Unde viæ ignarus, pulſusq; hoſtilibûs armîs,
Orbis in alterius partem eſt migrare coactus,
Viſmiri nunquam claſſem viſurus & ora!

XIII. Oſtia non eadem licuit penetrare ſequaci
Viſimire tibi: tempeſtas ſcilicet orta
Et venti & fluctus motæq; furore procellæ
In latus obliquum raptas egêre carinas!
Quisquis adeſt ſalvate rates, defendite nautæ
(VISIMIR EXCLAMAT) cita dum deſæviat undæ
Tempeſtas, repetemus iter: nunc tuta petamus
Littora, & in Danum proras inflectite portum.
Juſſa Viri faciunt, claſſemq; & carbaſa portu
Defendunt Danico: Daniam dabat obvia tellus.
Turbinis evasêre minas, & littore Dano
Se tutos ſatis eſſe putant. *Ignara futuri*
Mens hominum! neſcit, terris ſupereſſe procellas
Majores pelagô, littusq; nocentius undîs!
Namq; hìc dum primâ Viſimir ſpatiatur arenâ,
Ecce rei facies inopina! jacere cadaver
Naufragiô ejectum, tanquam de morte recenti
Conſpicitur! dubitant Slavi, miratur & ipſe
Exanimem Viſimir! pars, eſſe Palæmonis unum
E ſociis, clamant; merſumq; Palæmona credunt.
Pars laxant veſtem, verſantq; hàc corpus & illàc,
Sintnè

Sintnè aliqua aût lateant hominis veſtigia noti.
Veſtibûs excuſsîs, ſcriptæ cecidêre tabellæ;
Quamq; Diridanus mittebat, epiſtola Fratri
Scripta fuit Lago, verbîs furialibûs atrox.
Accipit hanc Viſimir, nigræq; ligamina ceræ
Solvit, & atrocem toto legit ordine chartam.
Charta fuit, quæ fronte Stygem, vocesq; tremēdas,
Et magica horrendîs præbebat verba tabellîs,
Hosq; vel his ſimiles REDDEBAT IN ORDINE SENSUS:
Quàm tibi Lage tuus Diridanus ab orbe remoto XIV.
Mitto recens, abeat non ſegnis epiſtola, poſco.
Jlle ego ſum, longo pridem tibi cognitus uſu,
Atq; veneficii ſtudiîs non aſſecla diſpar.
Ars mihi communis tecum, communis utriq;
Patria, communi gaudemus nomine Fratrum;
Vandaliâ genitos ſcit totus, & attremit, orbis.
Sed nec amicitiæ, nec Fratrum nomine tantum
Tangimur unanimes, quantum conjunxerat ambos
Artis amor magicæ. Quàmvîs & Balthide tota
Dividimur, nos pænè loco conjungit eodem
Et labor & curæ tua cura ſimillima noſtræ.
Scilicet exemplîs hominum non vivimus ullîs,
Noſtra Jovi non ara litat; contemnimus alti
Ætheris indigenas Divos: commercia nobis
Cumq; Erebo ſævisq; Umbris, Plutoneq; nigro,
Et Furiis, & Portentis, & quidquid in orco eſt
Horrendumq; feroxq; venenatumq; furore.
Horum ope, ſi volumus cum cardine vertere terras,
Vertimus: infernam tamen ante litamus ad aram
Cæde hominum; quivè exprimitur de corpore trunco
Pro potu ſanguis bibitur; cum murmure miſta
Sacra propinantur Ditiq; & triſtibus Umbris.

At quocunq; hominum quàmvis furor araq; noſtra
Paſcitur ad votum, non eſt tamen hoſtia ſacris
Gratior, externîs quàm dum venit advena terris.
Obtulit hanc Fortuna mihi! procul orbe remoto
Noſtram in Vandaliam penetraverat obvia; Lechus,
Victima; quem cepi, nigri quem Ditis ad aram
Sacrificare paro. Longo ſubmotus ab orbe
Specta Lage nefas, & paſcere funere Lechi!
Num poterant majora mihi, majora venire
Gaudia Lage tibi? proſcindere ſcilicet omnem
Membratim Lechum, votum ſuper omnia vota eſt!
Cauſam odii ne quære mei: vulgariter eſſe
Crudelem, ſcelus eſt; quando ultio poſtulat illum
Cujus causâ obiit triſti nece maximus Alcon.
Tres fuimus Fratres; Diridanus, Lagus, & Alcon:
Latiùs utq; orbi poſſemus quisq; nocere,
Terra tripartiti nobis conceſſerat orbis.
Tu Danicos portus, ego Vandala regna petivi,
Alcon Sclavoniam: Sed de tribus obtigit iſti
Sorte mala pejor provincia! venerat illuc
Alcon, & Sclavis afflârat peſſima morum
Jllicita, & belli nimium civilis amorem.
Quin Juvenem Roſſum cupido flammaverat igne,
Libriam ut Lecho raperet; ſceleris q; miniſter
Præſtitit officium furtiq; fugæq; latentis.
Pro Duce vindictam Sclavi ferrumq; parabant
Ulturi Roſſum: quos voce tenere manuq;
Suſtinet incautus, ſibi nec bene providus Alcon!
Namq; dehortantem Sclavos Alcona, recenti
Suſpicione ferox jugulat Czechus! audet in artus
Exanimes plus Lechus adhuc, flammasq; rogumq;
Exequiasq; negat miſero; lacerumq; relinquit
Aliti-

Alitibusq; feriſq; eſcam ſinè funere corpus.
Quid mihi tunc mentis, Lemurū quando unus in aures
Detulit hoc facinus noſtras? accingor: & extunc
Obſequiô Lemurum, Sclavam transportor in oram
Vindictæ cupidus. Vêni: videoq;, per undas
Claſſe rapi Slavos, per & æquora quærere Roſſum.
Noſcere tunc Lechum cupiens, & nectere fraudes,
In tenui cymba vehor obvius; edoceoq;:
Nec Roſſum procul eſſe, nec hinc procul eſſe Libriã,
Meq; Ducem promitto viæ, ſi prêndere Roſſum
Libriamq; velint. Sequitur deluſus euntem
Lechus; & hàc claſſem, quâ navigo, dirigit omnem.
Tempora tunc capio nectendis fraudibus apta,
Sirenumq; animas dulces vocemq; canoram
Aût ſimulo cantu magico, aùt induco ſoporem
Navibus inviſis; ut Gens inimica Slavones
A ſuperinducta malè tempeſtate perirent.
Et voti jam compos eram; nisì Numina noſtris
Pugnâſſent votis contraria! dicere flentem
Ah pudet, ùt mea tunc ars victa eſt arte Deorum!
Nîl egi, quàmvis à tempeſtate diremptæ
In diverſa rates ierint; amittere quàmvis
Viſus erat Lechus Viſimirum, Viſimir illum.
Iratus ſuperis, exinde relinquere nitor
Æquora, Vandaliamq; iterum patrioſq; Penates
Infectîs repeto rebûs; noctesq; diesq;
Cum Styge cūq; Erebo queſtu traho tempora longa.
Ecce volat rumor: *Rediiſſe in Slavica Lechum*
Littora, & affines vaſtare & perdere Gentes!
Tunc vetus in Lechum mihi ſenſus & ira revixit.
Vindictæ genus aggredior, quo perditur abſens
Hoſtis; dumq; perit, pereat quo vulnere, neſcit.

Namq; Lechi parvam effigiem, ſimulacraq; fingo
Cerea; formo caput, pectusq;, fibrasq;, manusq;,
Cerea cumq; oculis ementior omnia; verum
Mox confixurus telis in imagine Lechum.
O inviſa mihi, ſemperq; faventia Lecho
Numina! tela licèt toties totiesq; lacertis
Eminus excuſſi, non vulnera pertulit ulla
Ictus in effigiem; ſemperq; errare ſagitta
Viſa, ſcopumq; ſuum ſemper reverenter habebat!
Iratus Divis, in Numina verto furorem,
Atq; ope, quam plebes piratica præſtò ferebat,
Delubrum Jovis effringo; furtìsq; profano
Lemiſaletani funeſta altaria templi.
Quod non thure dato mihi Numina culta dediſſent,
Læſa dedêre illo mihi crimine: ſcilicet aris
Depoſitô ablatô, profugus dum littora carpo,
Ecce Lechus præterq; fidem, ſpem præter & omnem
Viſus adeſt! promptum nec erat cognoſcere nobis
Unde? ſed aſpecta eſt mœrens & ſola venire
Præda, per & ſylvas incuſtodita vagari.
Tunc primùm valuêre meæ feliciter artes!
Ignarum captivo Lechum, nec gaudia noſtra
Ipſe ſatis capio, capio tamen obvius hoſtem,
Quòdq; illum teneam, tibi ſcribere deſtino Fratri.
Scripta lege interea, donec præſente fruaris
Lage Diridanô: furti me conſcia nempe
Mens monet ut fugiam diverſæ in littora terræ.
Sivardi mihi regna placent: hûic munera rapti
Depoſitì, puto quæ regalia, vendere grandî
Connitar pretiô, cupidus diteſcere tecum.
Ibit & in mercem Lechus, pretiôq; paramus
Vendere captivum; maceratus ut ante, diuq;

Nec

Nec ſemel infelix, mactetur victima poſthac.
Grataq; erit merces, nec erit mihi fortè rogandum
Ut Sivardus emat; Sivardus, quem ſua Phœbi
Fata docent: *Daniam caſuram à Sanguine Lechi.*
Tu modò, qui diverſa ſedes ad littora Cuſtos,
Lage vias ſerva Viſimiri: namq; monemur
Narratu Lemurum, temerarius iſte quòd hoſtis
Vela det in Danicos, jam proximus advena, portus.
Quisquis erit Viſimir, qui nomina perferet iſta
In portus Danicos, illum ne perdere differ.
Jamq; vale: tranſmiſſa tibi properante Miniſtro
Littera, Fraternam citò deferat, oro, ſalutem.
Ut lecta exhibuit Scriptoris epiſtola ſenſum, XV.
Prôh! qualis ſub fine ſtupor, quantusq; per omnes
Horror iit! nondum tutus ſibi quisq; videtur
Eſſe; pigetq; ipſos verborum audîſſe venena!
Viſimir ante alios, propior cûi cauſa timendi,
Palluit, ingemuit, dubitavit, inhorruit, hæſit!
Mens tamen ùt paulùm rediit, tum Vindicis igne
Concepto, frendens & inexorabilis INFIT:
Ergo veneficiis etiam, Stygioq; furori
In noſtrum ſunt jura caput? Diridanus inultus
Tantum in nos Lechumq; poteſt? o Numina lenti
Fulminis! o tutas nullo Jove vindice noxas!
Scilicet hæc parva eſt jactura, quòd omnia Lechus
Amiſit, Czechum præter, ſe præter & unum,
Inſuper à quoquam captivus habebitur ipſe?
Meta mali unius, gradus eſt plerumq; futuri,
Atq; alia ex aliis Lechum quoq; fata ſequuntur!
At periit? bellôq; Lechum periiſſe, Palæmon
Narrabat nuper? ſed enim non certa volanti

Sæpè fides famæ eſt; retulitq; audita Palæmon!
Acta ſibi, ſibi viſa refert Diridanus; & hæc eſt
Viverè quæ graphicè deſcribit epiſtola Lechum.
Vivit, at infelix! et, ſi modò computo tempus,
Litera quo ſcripta eſt, jam Lechus Danica vidit
Littora, Sivardoq; ſuus captivus habetur!
Si tamen hoc verum eſt, diſces Sage improbe diſces,
Quid valeat Viſimir: pœnas mihi criminis hujus
Quandocunq; dabis! nec littora Dana relinquam
Donec in his terris Patrem deprêndero Lechum.
Ire juvat per mille neces, & quærere Patrem,
Et Diridani vel morte repoſcere pœnas.
Poſcor at ipſe neci? Viſimirq; ad funera Sagis
Quæritur? & magicis non ſum cognomine noſtro
Tutus ab inſidiis? procul hoc! tua crimina Lage,
Quisquis es, evertam! melioribûs artibûs artes
Vincentur, dum te mutato nomine ludam.
Tutus ut à magica ſim fraude, Lechumq; repoſcam,
Nomina mutemus! Viſimirum nomine, Sclavi
Dicat abhinc nemo: priſco ſed nomine verſo
Lechdanus appeller: Patremq; Danæq; ruinas
Qui referat terræ, titulus mihi militet alter,
XVI. Tu modò, mandatis nunquam non cognite fidus,
Regis adi Liſiarche aures & mœnia Dani,
Munere Legati functus: nec poſcere differ
Lechum à Sivardo, ſi quis tamen eſt Lechus illi;
Tentemus, namq; eſſe poteſt: ſed cautus abire
Scito velis; *Lechumq; Hoſtem mihi*, fingere diſce:
Nec me Viſmirum ſed dicito *Lechdanum adeſſe*,
Cùi hoſtis petitur Lechus. Si ſuſtinet hoſti
Ferre patrocinium noſtro Sivardus, habebit
Nos ſibi præſtò hoſtes; perq; effera prælia Lechus
Jam

Jam tandem repetendus erit, nî redditur ultro.
Callidus hac repetam Lechum, (prôut auguror) arte,
Quemvè mihi vobisq; Lechum malè fingimus hoſtē,
Rex non difficilis nobis extradet ùt hoſtem,
Si vel amat pacem, vel ſi illi Lechus habetur.
Finierat Viſimir. Legati partibûs extunc
Fungitur Orator Liſiarchus: tendit in arcem
Feralem ſibi, Sivardiq; palatia tentat.
Regia Sivardi, plauſu tunc læta recenti, XVII.
Gaudia feſtivà latè peragebat in aula.
Lætitiæ cauſa eſt, pulſus cum claſſe Palæmon
Portubus è Danicis: littus qui forſan ad illud
Appulerat, ſæva quòd tempeſtate diremptus
A Sclavis, aliam non tangere poſſet arenam.
Cûi tamen hoſpitium Sivardus triſte negavit,
Rejecitq; etiam, fuditq; Palæmona ferrô.
Fugerat hoſti impar, ſubductaq; vela Palæmon
Miſit in ignotas longinqua Balthide terras!
Ergo velut Victor, carituros laude triumphos XVIII.
Indicit populis Sivardus, & imperat aulæ.
Læta ſed in rabidos converſa eſt ſcena furores
Adventu Liſiarche tuo: qui limine poſtquam
Conſtitit Orator: Quæ gaudia ducitis (INQUIT)
Rex bone, vosq; Dani, non intermiſſa precatur
Lechdanus, in Danico fixit qui littore proras,
Cujus & interpres, vobis modò cognitus, adſum.
Venerit armatus quàmvis, non vênit ùt hoſtis
Lechdanus; hoſpitiiq; fidem, feſſisq; quietem
Navibus implorat: *Mitem decet eſſe precanti*
Et dare quod poſcit. Quòdſi præſentia lædit
Hoſpitis armati? Danico da ſolvere claſſem
Littore, namq; potes: ſi, quē modò Lechdanus armis

Perſe-

Perſequitur poſcitq; Lechum, tu reddere pergas.
Sin ſecus, & noſtrum non exorabilis hoſtem
Protegis auxiliis? Danicô repetendus Aſylô
Arma per eſt Lechus. Manibûs Rex magne tenetur
Pax bellumq; tuîs; utrum placet, elige: malis
Attamen in pacis ſanctas concedere partes.

XIX. Plura locuturum, frendens & turbidus irâ
Occupat actutum Sivardus, ET INCREPAT ISTÎS:
Improbe quid Regem, quid Danos nomine vanæ
Ludis amicitiæ? Si non veniſſet ût hoſtis
Lechdanus, hos portus, quàm tangeret, ante rogâſſet
Tangere, & hoſpitii tentâſſet jusq; fidemq; .
Nunc venit audacter, quæq; ante petenda fuerunt,
Jam ſua pænè facit, cêu Poſſeſſore carerent.
Bella minasq; etiam factis audacibus addit
Nî tradam Lechum! cùmq; hîc nec nomina Lechi
Novimus, & deſit cûi Dania præſtet Aſylum,
Jlle Lechum petit; & manifeſta callidus arte
Prætextum belli quærit cauſamq; futuri!
Quod petit, inveniet bellum latro: ſcandite proras
O comitum fortes! & quò vocat ira dolorq;
Præcipitate rates! impunè invaſerit hoſtis
Nullus abhinc Daniam: qualisq; ſubinde Palœmon
Littore fuſus iit; ſic ſic temerarius iſte
Lechdanus, hoſtis habet cùm verba & facta nefandi,
Aût cadat; aût fugiat, malè quos tenet advena portus.
Quid tamen hûic faciam, Legati nomine vanus
Qui modò cùm tumeat, venit explorator in aulam?
Ocyùs hunc famuli comprêndite, perq; profanas
Spargite corpus aquas: indignus ut occidat enſe
Improbus hic! mundi legem nec lædimus ullam
Legatiq; fidem: non eſt Legatus in illo

Sed

Omnia, jam ſalvi nihil eſt; & feſſa cruento
Imbre natant tabulata, cadaveribûsq; laborant!
Dat tamen hoc animos Danis, quòd languida virtus
Non caret auxiliîs comitum; poteratq; videri
Sivardus major, quàm cûi Fortuna noceret:
Sed quia viſus erat ſibi fortior, eſſe repente
Deſiit! è centum numero modò navibus, imô
Plurima pars ſedêre mari; Danumq; furorem
Plus ſolitô iratæ caſtigavêre procellæ.
XXI. Non tamen ante ſtetit belli furor, ipſe Sivardus
Enſe cruentatus caneret quàm ſigna receptu.
Hoc fugiente, Dani cedunt: fugientibus inſtat
Lechdanus, & fuſas procul urget Marte carinas.
XXII. Perdidit illa dies Daniam, ne clade lacertos
Ampliùs ex illa, quidquam ſperando, moveret.
Lechdanus hoc etenim Victor certamine, poſtquā
Collegit paulatim animam: Nunc ſtringite (DIXIT)
Arma Viri! quando, qui Martem inferre Sivardo
Debuimus, patimur; trahimurq; in bella coacti.
An dubitatis adhuc, peſſundata crimine jura
Ulciſci ferro? Legatum lædere certè
Jura orbis prohibent: læſus, quem miſimus, ille eſt,
Nec rediit, nec fortè ſuâ jam veſcitur aurâ
Cum Lecho Liſiarch! geminîs circumſonor Umbrîs
Et poſcor Vindex! petit hoc, qui bella Sivardus
Indixit, pugnando prior. Deſcendite claſſe,
Et Scaniam veſtro Daniamq; evertite ferrô.
Hæc ait: & rapto ſecum agmine, proxima quæq;
Vaſtat & incendit. Prôh! quàm properata nocendi
Vis fuit illa Slavûm! Non his non urbibus illis
Stare datur! pereunt cunctæ cum mœnibus arces,
Præda Slavis ſpoliumq; ingens: quodcunq; videtur
Cedere

Cedere nolle, cadit; Victoriſq; omnia fiunt
Quæ fuerant juris Danici: ſunt rapta Sivardo
Oppida, raptæ urbes, ſunt rapta æraria regni.
Ultro aliæ veniunt audito fulmine Gentes
Ante metu captæ; nec ſupplicis ore venire
Eſt pudor, implorant veniam, redduntq; tributum.
Sæpè quidem Slavis opponere viribus arma,
Sæpè laboranti Patriæ ſuccurrere, ſæpè
Et lauros & Victoris ſibi reddere nomen
Tentabat Sivardus adhuc: Fortuna negavit!
O quoties victus, laceræ ludibria claſſis
Damnabat, triſtemq; fugam! latebrîsq; negatîs
Optavit jam ſponte mori, formidine mortis!
Finitimos quoties pretiô tentaverat ille,
Suppetias ferrent, & teſtarentur amicos!
Nîl intentatum eſt; nîl profuit attamen: acſi
Jurâſſet Fortuna Slavis, tam cedere cœpto
Difficilis, quàm ferre potens meliora peractîs
Jamericus erat, Sivardo Filius: idem XXIII.
Res inclinatas Daniæ qui ſiſtere fortis
Audebat Juvenis: ſed & hic cum claſſe Daniſq;
Victus, inexpertæ fuit una tragædia pugnæ!
Captus enim bellô, diuturni carceris hoſpes
Pertulit ærumnas, poſthac reverenter honeſtîs
Excubiîs habitus: *Sed quid ſolatia luctûs*
Iſta juvant Reges, rapitur dum maxima rerum
Libertas cuſtode carens? ut cætera deſint,
Eſt ſatìs ad pœnas, alieni juris haberi!
Tanti fama mali, Daniam tremefecerat omnem,
Præcipuèq; Patrem Sivardum: ſentit & horret
Fortunam Nati, non diſſimulator, eandem;
Quamq; timet, vitare cupit. Non Patria viſa eſt
Tuta

Tuta ſatis; fugit è Patriâ, quæritq; latebras,
Hêu! quàm Sivardo diſtans Sivardus ab illo,
Regis honore carens, flendusq; vel hoſtibus ipſis!
Non tamen & prorſus ſpem projicit: extera regna
Solicitat; ſociasq; manus, ſocia arma precatur,
Dent ut opem Daniæ, quicunq; vocentur amici,
Auxiliatrices auſi interponere dextras.

XXIV. Hoc erat illud idem tempus, quo miſſus ab olim
Viſmirum quærente Lecho Geberichus, in oras
Appulerat Danas: ſed creditus explorator
Captus & à Danis, poterat de nomine magni
Viſmiri didiciſſe nihil. Quod carceris inter
Scire umbras poterat, Danis id ab hoſtibus unum
Edidicit: *Daniæ vaſtari regna per hoſtem*
Lechdanum, & hoc terris clades Authore venire.
Atq; ità, dum longo poſt tempore, transfuga felix
Conſtitit in Patria; Lechum deceptus & ipſe
Decipit & narrat: *Penetrâſſe in Danica nullum*
Littora Viſmirum; vaſtari proxima quæq;
Hoſte alio ignoto, cûi nomen, Lechdanus, eſſet.

Sic miſeri erramus! ſic fallimur arte malorum;
Dum fugit, & levis eſt, & proxima gaudia differt,
Pænè tuîs manibus quæ jam Fortuna tenetur!
Ponite mœrores, & fucum demite rebus,
Nomine tam Viſimir quã Lechdanus, unus utroq; eſt!

ARGU-

ARGUMENTUM
Libri 8vi.

I. *SUcceſſus armorum Lechdani in Rugia, Iucia, Feonia, Scania &c: maritimis Provinciis.* (De ſucceſſu armorum Viſimiri in Dania. Crom: l. 2. f. 24. Guag: f. 8.) II. *Lechdanus excedit Daniâ in alias terras. Abducit ſecũ captivum Jamericum.* III. *Duæ Sivardi Filiæ, Oxa & Biblis, petunt à Lechdano copiam inviſendi Fratris Jamerici; & impetrant.* IV. *Sermo Oxæ ad Fratrem. Ingenium ejusdem Oxæ & virtus in liberando Fratre captivo.* V. *Jamericus, mutato habitu, fallit excubias; relicta pro ſe in captivitate Oxa ſorore.* VI. *Sivardus cum auxiliaribus copiis movet claſſem in Slavos.* VII. *Jamericus occurrit Sivardo Patri, & de multis informat.* VIII. *Sivardus indolet ſorti Oxæ, & militem in Slavos exſtimulat. Itur in Slavos* IX. *Lechdanus, conſpecta hoſtium claſſe, armatur.* X. *Sivardi pugna cum Slavis & Lechdano.* XI. *Virtus Slavûm & Lechdani in prælio navali.* XII. *Lechdanus, cum ſtupore advertit Jamericum pugnantem, ſuum nuper captivum.* XIII. *Sivardus Lechdano congreditur infeliciter, cæditurq; à Lechdano.* (De Sivardo Rege, armîs Viſimiri cæſo in prælio navali. Crom: l. 2. f. 24. Guag. f. 8. Ines in Lech:) XIV. *Cedunt Dani cum auxiliaribus copiis, diverſa littora petentes.* XV. *Danas rates plurimas versùs Vandali (nunc Viſtulæ) oſtia fugientes, capit Lechdanus;*

& cum

& cum illis alteram Sivardi Filiam. (De gemina Sivardi Filia à Viſimiro capta. Crom.: l. 2. Guag: f. 8.) XVI. *Jamericus fugit in Pomeraniam.* XVII. *Lechdanus, de virtute Oxæ in liberato nuper captivo Fratre, informatus, jubet ſtatui ante ſe eandem. Oxæ ſermo ad Lechdanum.* XVIII. *Lechdanus humaniter Oxæ reſpondet, collaudans virtutem ejus.* XIX. *Idem Lechdanus, portu Vandalico receptus, perſolvit justa Sivardo nuper cæſo.* XX. *Liſiarchus macie ſqualidus, occurrit Slavis in Vandalico littore. Hunc cæteris timentibûs, Lechdanus alloquitur ùt mortuum. Illi Liſiarchus ſe vivere miſerum reſpondet.* XXI. *Lechdanus quærit ex Liſiarcho modum evitatæ necis.* XXII. *Liſiarchus docet, quo pacto evitârit mortem à Sivardo imperatam. Quomodo venerit in littus Vandalicum. Innuit de Vandalia, Undalo Rege, Polia, & fluvio Vandalo.* XXIII. *Slavi concurrunt ad Liſiarchum.* XXIV. *Lechdanus, ſermonem Liſiarchi altiùs conſiderans, deliberat anceps de Polia, Undalo, Vandalia &c: de quibus olim à Vinide audierat.* XXV. *Lechdanus conſtituit fundare coloniam in littore Vandalico; geminamq; urbem excitari imperat.* XXVI. *Viſmaria urbs ædificatur à nomine Viſimiri.* (Crom: l. 2. Sarn.: l. 4. Ines in Lech:) XXVII. *Urbem Gdanum, ſive Gedanum, imperante Lechdano Slavi ædificant, & à captivis Danis, illic locatis,* Danum *appellant.* (Crom: l. 2. Sarn.: l. 4. Guag.: f. 8. Ines in Lech.: de erectione à Viſimiro Gdani, & appellatione ejusdem urbis.) *Oxa & Biblis Gdanum incolere juſſæ, ad tumulum Sivardi.* XXVIII. *Lechdanus quærit amicitiam* Undali. *Scribit illi epiſtolam,*

in

in fœdera amicitiæ ſolicitantem. Innuit ingenioſè in literis, obſcurum quidpiam de Vinide, quaſi explorandi gratiâ. XXIX. *Mittitur cum literis Liſiarchus. Sed aberrans in Pomeraniam, incidit in manus inimicas Jamerici. Hujus furorem temperant Pomerani.* XXX. *Liſiarchus utitur ingeniô in ſe ſalvando. Pomerani ab illo veniam precantur. Jamericus tegit odium.* XXXI. *Liſiarchus ſomno indulget, expoſitâ incautè epiſtolâ, ſcriptâ ad Undalum à Lechdâno.* XXXII. *Jamericus hanc epiſtolam ſubtrahit. Inficit literas tabe mortiferâ. Sigillô rurſus munit; & loco, quo acceperat, reponit; dormiente Liſiarcho.* XXXIII. *Liſiarchus poſtridie firmato cum Pomeranis fœdere, pergit in Vandaliam ad Undalum, ferens epiſtolam venenô infectam.*

in fœdera amicitiæ ſolicitantem. Innuit ingenioſè in literis, obſcurum quidpiam de Vinide, quaſi explorandi gratiâ. XXIX. *Mittitur cum literis Liſiarchus. Sed aberrans in Pomeraniam, incidit in manus inimicas Jamerici. Hujus furorem temperant Pomerani.* XXX. *Liſiarchus utitur ingeniô in ſe ſalvando. Pomerani ab illo veniam precantur. Jamericus tegit odium.* XXXI. *Liſiarchus ſomno indulget, expoſitâ incautè epiſtolâ, ſcriptâ ad Undalum à Lechdano.* XXXII. *Jamericus hanc epiſtolam ſubtrahit. Inficit literas tabe mortiferâ. Sigillô rurſus munit; & loco, quo acceperat, reponit; dormiente Liſiarcho.* XXXIII. *Liſiarchus poſtridie firmato cum Pomeranis fœdere, pergit in Vandaliam ad Undalum, ferens epiſtolam venenô infectam.*

LIBER VIII.

I. QUI rapientis aquæ, rapientis & omnia flammæ
Impetus eſſe ſolet; fuit is tibi Lechdane felix
Armorum curſus; rapidiq; potentia ferri.
Una aliam laurus dat & accipit; èq; trecentis
Tantus erat bellis, ut ſolo Lechdanus orbem
Nomine terreret. Jam venerat altera meſſis,
Et nondum extulerat cervicem Dania, triſti
Preſſa jugô Sclavûm. Daniæ non una ruinis
Inſula facta comes: victa eſt quoq; Rugia, victa
Jucia; Fœoniam bellum prope ſtravit eodem
Fulmine, quo Scaniam: vaſtata eſt omnis ad unam
Inſula; nec de tot modò terris ulla reperta eſt
Soſpes & immunis, graviumq; ignara malorum.
Jam maris & terræ Dominum ſe ſcribere Victor
Lechdanus ut poſſet, fecit: fruſtraq; nocere
Invidia cupiente, Sivardi invadere ſceptra
Et Daniæ poterat Rex imperitare ſubactæ.

Sed

Sed quis ab invitis, quàmvis fateantur amorem,
Exigat obſequium tutus, fidatq; coactis?
Nulla ſemel læſis fiducia: qui modò preſſi
Diſſimulant iras, mox exoriente ſereno
Fortunæ, capiunt tempus; cita ne ſibi deſit
Ultio, clade premens caput artificemq; malorum.
Lechdanus hoc ſenſit prudens; ſatis ergo ſuperq; II.
Ad famam ratus eſſe ſuam *Viciſſe;* Parentis
Cùm jam nulla forent usquam veſtigia Lechi,
Deſtinat è Danicis felix excedere regnis
Vindictà famâq; ſatur: pacatior illi
In votis terra eſt, quæcunq; Palæmonis eſſet.
Jamq; adeò belli exuviis ſpoliisq; ſuperbus
Solvebat Danico locupletem littore claſſem.
Sed tamen inter opes, ſpolia inter maxima Regũ
Majus erat, reduci claſſi captivus & exſpes
Filius expulſi Regis Jamericus: in illo
Penſari viſum eſt Slavis, quodcunq; deeſſe
Poſſet adhuc: Daniam captivo Rege teneri, &
Omne ſuum Slavi eſſe putant, quodcunq; relictũ eſt,
Totum cêu anima regnum captum eſſet in una.
Quem niſi fida Soror, ſubductum carceris umbris,
Redderet incolumem; Patriam non ampliùs ille
Cerneret, extremumq; Slavos ſequeretur in orbem.
Sed cùm pænè ſalus Jamerico nulla ſubeſſet,
Eripuit Soror hunc, animoſo fortis amore.
Nempe ætate pares Oxa altera & altera Biblis III.
Sivardo geminæ fuerant, duo gaudia, Natæ.
Quæ ſimul ac Daniâ diſcedere velle relictâ
Audivêre Slavos; Fratris meminêre retenti,
Solicitæq; adeunt te Lechdane: *Ferre ſupremum*

Felicem miſerumq;, (INQUIT) cûi ſemper iniqua
Sic favet ut noceat Fortuna; nec invenit artem
Ut tantùm proſit, careatq; dolore ſerenum!
Quòd mihi tam fortis, quòd tam pia Fratris amore
Filia ſit, lætor: ſævi quòd carceris umbrîs
Squaleat illa eadem, vetitum gaudere Parentî eſt!
Gaudia non capiam, donec ferat ipſa ſalutem
Quæ fecit Jamerice tibi: ſis Vindicis Ultor
Ipſe tuæ, & mediis rapiatur ab hoſtibus Oxa.
Omnia ſuſtulerit, non Lechdanus auferat unam.
Auferat imò nihil, niſi dedecus: ùtq; rapinîs
Polluerat terras, ſpoliîsq; ſuperbit abactîs,
Præda ſit ipſe; ſuôq; egeat, qui noſtra peredit.
Vindictam capite, o Cives! ingentibus auſis
Campus adeſt; magnæ patet o! patet, area laudis!
Si, cûi *Fama* dedit ſua nomina, vincitis hoſtem,
Tunc veſtrum nomenq; meum ſuper aſtra feretur,
Atq; dabunt famam, fuerant qui *Fama*, Latrones.
Nec tamen aût magnîs opus eſt conatibûs, hoſtis
Ut cadat iſte: cadet, numerôq; & viribûs impar.
Nàm cur per toties felicia prælia profit
Fortibus eſſe Slavis; ſi præconſumere vires
Jam poterant? ſi conſenuit prior ardor in illis?
Si fugiunt? Daniamq; meam portusq; relinquunt?
Scilicet hinc abeunt, factæ quos conſcia culpæ
Mens agit in præceps: *Audax à crimine nemo eſt.*
Ite animoſæ acies! res non operoſa, timentem
Cæde ſequi, captisq; metu ſuperaddere vincla.
Deſierat. Caluêre omnes Sueciq; Scaniq;
Et Pomeranæ acies, & Danus in ordine miles.
Nec mora: dant claſſem ventis, avidoq; furore
Præcipitata via eſt; & tempeſtatis ad inſtar
In

In pugnam volat hæc, volat illa ac illa carina.
Quàq; patent vaſtà freta Balthide, per mare magnũ
Itur in adverſos properato remige Sclavos.
Jamq; iter emenſus medium per Balthidis undas IX.
Vela dabat celeri rate Lechdanus. Ecce videri
Sylva antennarum bellatricesq; triremes
Incipiunt; tanquam Sclavis concurrere vellent.
Bella venire rati, venienti claſſica bello
Intonuêre Slavi! diſponunt ordine proras
Et firmant, & ſtant ſpatio conſtanter eodem,
Opperiuntq; hoſtem, ſeq; exhortantur & armant.
Interea Sivardus adeſt cum claſſe virisq; X.
Primusq; in Sclavos & ferrum jactat & ignes,
Atq; iram majorem iſtis. Ducis igne ſeverus
Fervet ab exemplo miles, ſimiliq; calore
In bellum cædemq; ruit: Sueciq; Daniq;
Unanimesq; Pomerani pariterq; furentes
Cæco Marte ruunt; & agunt, quod ſæva cupido,
Ultima quod rabies, qùod flãma, quod imperat audax
Impetus armorum, primiq; inſania ferri.
It clamor! ſtridentq; haſtæ, volat æthere toto
Miſſilium nimbus! jaculatricesq; ſagittæ
Nocte ſua (tanquam Xerxes pugnaret in illis)
Eripuêre diem: ſic turbida tela rotantur,
Sic fundæ, gladiiq;, haſtæq;, levesq;, ſariſſæ,
Cumq; neces jaculis, cumq; acri vulnera ferro.
Non minor & Sclavos rapit ardor & ignea virtus: XI.
Quas capiunt, reddunt mortes; vitæq; necisq;
Intrepidi calcant confinia: rumpitur illis
Clauſum iter, ac hoſtem punctim cæſimq; trucidant,
Nunc face nunc gladiô horribiles! rapidisq; ſariſsis,
Quæq; necem jaciunt, jaculis pugnatur & haſtis.

Dat Fortuna animos prior, innumeriq; triumphi,
Et virtus invicta Ducis; qui ſtrenuus inter
Millia bellantûm, quæcunq; pericula primus
Et ſubit & ſuperat; contemptoremq; ſalutis
Ipſe ſuæ peragens, quas voce recalfacit iras.
Provocat exemplô, mediisq; in millibus ardet
Dux ſimul & miles, vultu metuendus & armîs;
Ac miſcens manibusq; manus, ratibusq; carinas,
Hos fugat, hos cædit: cædes tamen edita ab illo
Cædis cauſa novæ eſt; magis irritatur agendo.
Lechdanus, eſſe nihil magni ratus hactenus actum,
Dum ſupereſt aliquidvè hoſtis ſperare videtur.

XII. Sed novus ardentem ſtupor occupat & ſimul ira
Lechdanum, ùt aſpexit Jamericum in puppibus altis,
Hortantemq; ſuos, bellumq; necesq; ferentem!
Cur liber modò bella gerat, qui vincula geſſit?
Quæ fuga captivum rapuit? quo luſerit ille
Ingenio excubias, caveæq; ergaſtula clauſa?

XIII. Dum ſtupet, & facti cauſas examinat anceps
Lechdanus; ecce illum veniens immanè Sivardus
Occupat à tergo, ratibûsq; & milite cingit;
Attollensq; haſtam: *Nunc, nunc, o Semivir* (inquit)
Pœna luenda tibi eſt, ſcelerum quam maxima vindex
Diſtulit huc Nemeſis: quàmvis mihi morte virorum
Sternere te pudor eſt, tamen hac jugulabere dextra.
I, ferus ad Manes! atq; hæc cape præmia longi
Retro latrocinii, mea quæ tibi dextera mittit.
Dixit: & excuſſit totis cum viribus haſtam.
Illa volat, galeam præter, præterq; frementis
Ora Ducis Sclavi: miſſum nec pertulit ictum,
Sed Ducis hærentem lateri percuſſit Olerdum.
Iſtius è jugulo capit haſtam Lechdanus, inq;
Sivar-

Sivardum intendens oculos: *En reddimus* (inquit)
Quam miſiſti baſtam; ne te poſt omnia clames
His etiam ſpoliatum armis! cape Semivir ipſe
Dum potes, hoc munus. Dixit: Regisq; Sivardi
Impulit in frontem non evitabile telum.
Fronte receptum hæſit, pronumq; in terga Sivardum
Explicuit, rapuitq; omni cum ſanguine vitam.
Conclamaut Dani! ſubitòq; per omnia transtra, XIV.
Rex o! Rex cecidit! diſcurrit voce tumultus.
Continuò trepidare Dani, ſpectareq; triſtem
Retro fugam: languere omnes, ſoloq; pudore
Pugnare, ac hoſtem clademq; utcunq; morari!
Ut verò Suecos rumor percuſſit acerbus,
Terga fugæ, mala ne veniant pejora, gregatim
Dant trepidi, tutosq; petunt cum claſſe receptus.
Suecorum auxiliîs deceptus in ordine miles
Danicus, hâud aliud quàm ſe ſubducere pugnæ
Cogitat, atq; fugâ laceras ſalvare carinas.
Ut tamen & Patriæ fugiendo proſit, & hoſtem
Avocet à Dania; peregrinæ in littora terræ
Secum auferre parat Martem: dum ſalva recedat
Terra Danûm, clademq; ſuam non ſentiat abſens.
Oſtia ſunt fluvii, cûi nomen *Vandalus*; & qui XV.
Balthidis in concham triplici delabitur ore:
Iſtula nunc terris & Viſtula dicitur undis.
Huc fugiunt Dani: fugientibus imminet ardens
Lechdanus; & pariter pugnæq; fugæq; parandæ
Eripit arbitrium: namq; inter littora clauſos
Ferre jugum victos & ponere prælia cogit.
Bisq; decem captis cum navibus, altera Regis
Filia Sivardi capta eſt, cognomine Biblis.
At non & ſortem ſubiit Jamericus eandem, XVI.

Altera

Altera jamq; illi nunc fata Sororia pugnant.
Cujus adhuc meminiſſe timet, non ſuſtinet umbram
Carceris, & junctus Pomeranis transfuga proris,
Quo Pomerani abeunt, abit ipſe, Danosq; relinquit,
Et quærit latebras peregrinæ in cardine terræ.
XVII. Non tamē hunc ſequitur, poſitâ qui Lechdanus irâ,
Vaginâ emeritum poſcente recondidit enſem.
Scire ſed ardet adhuc, quo pacto luſerit olim
Carceris excubias Jamericus? Crimina facti
Factiq; authorem quærit. Mox, fraude Sororis
Ingeniôq; Oxæ raptum de carcere, poſtquam
Audiit attonitus, *Statuatur ut ocyter Oxa*,
Imperat; inſolitæ virtutis imagine captus.
Jlla venit; mortiſq; ſuæ ſpem Vindice viſo
Concipiens: Quocunq; vales, nunc utere ferrô
Lechdane, (CLAMAVIT) nullam pro crimine pœnā
Deprecor: eſt ullum ſi Fratri ferre ſalutem
Crimen, & hanc aliquis pietatem reprobat hoſtis!
Jlla ego ſum, per quam libertas reddita noſtro
Fratri eſt; ut ſit adhuc, qui tot meą vindicet enſe
Tot ſua, quæ veniunt à Sclavo fulmine, damna.
In caput hoc igitur (quoniam meruiſſe videmur)
I, per mille modos pœnarum: nulla videtur
Mors mihi crudelis poſt funera Patris adempti!
Si ſitit, & nondum Slavus eſt ſatìs ebrius enſis
Sanguine Danorum; noſtrum bibat ille cruorem,
Atq; ambas feriat, dum ſalvo Fratre, Sorores.
XVIII. Pone metū; pœnas (RESPONDIT LECHDANUS) iſtas
Qui mereatur, abeſt Jamericus: *Femina ferrô*
Non cadit Heroum. Quàmvis nec Femina dici
Tu potes, & Fratrem majori pectore vincis.
Scilicet ille fugit, tu fata amplecteris ejus,

Et

Et pro Fratre mori, quod rideat ille, repoſcis.
Vive! tuoq; refer meritam de crimine laudem.
Eſt veniâ dignum crimen tam nobile; teq;
Abſolvit tua culpa ream, virtusq; vocanda eſt!
Peccâſti quoniam virtute viriliter, ibis
Per pœnæ tormenta novæ; licèt ipſa repugnes,
Per mea perq; ibis præconia debita mundi,
Et ſancti exemplum virgo narrabere amoris.
Si fuerat tanti, fugiſſe è carcere Fratrem,
Nil querimur; fugiat Jamericus ſæpius hoſtem
Taliter, ut ſimilis veniant miracula facti.
Nunc pretium virtutis habe: quo vivere dempto
Patre fugis, niſi buſta ferat; concedimus illi
Buſta, & Sivardus donetur jure ſepulchri.
Sit licèt indignus; ſis tu licèt ipſa Parente
Dignior Oxa alio: meritum tamen accipit ex te,
Ut cinis extremo careat non mortis honore,
Sentiat & tumuli pacem, lacrymasq; Danorum,
Atq; hoſtes inter ſe ſe experiatur amari.
Hæc ait: & terram, deducta ad littora claſſe, XIX.
Scandit in adverſam: terræ mox Numina placat,
Thuraq; dat, poſcitq; Deos in vota ſecundos.
Tum fidei memor ante datæ, fert ſacra ſepulchri
Manibus infenſis, & reddit juſta Sivardo:
Buſtaq; & inferias & honorum funeris ignem
Excitat, ereptamq; armis pius expiat Umbram.
Quæ dum ſolenni regàliter ordine fiunt; XX.
Igne procul viſo, venit en macieq; ſituq;
Squalidus, atq; hominis referens vix nomen & umbrā
Amiſſus quondam Liſiarchus! ab agmine Sclavi
Diſſiliunt, pavidiq; ſtupent, creduntq; cadaver
Veniſſe è tumulis; hominemq; negantq; ſodalem:

Sunt,

Sunt, qui orent proni, Manesq; animasq; precentur.
Unus ad eventum Dux reſtitit: & licèt Umbram
Adventare putet, tamen hîs interritus Umbram
Lechdanus ALLOQUITUR: Pars o Liſiarche meorũ,
Vivisnè? an Stygiis ades huc è ſedibus Umbra?
Inq; ſepultus ades, non defletusq; vagaris?
Curvè venis? an, Sivardo quòd juſta paremus,
Tu malè fers? tumulumq; petis, qui ponitur hoſti?
Ne trepidate Slavi (LANGUENTI REDDIDIT ILLE
VOCE) hujus non eſt uſus mihi lucis ademptus.
Vivo miſer! pejorq; iſthic mihi funere vita eſt,
Quòd ſolus, quòd inops, hîs hactenus exulo terrîs!
XXI. Nonnè Dani Regis (DUX LECHDANUS EXCIPIT) irâ
Ereptus Liſiarche jaces? quo Numine, cædis
Luſiſti artificem? rabidîs ne fluctibûs hauſtus -
Balænis fieres te dilanientibus eſca?
XXII. Olli reſpondens Liſiarchus, TALIA FATUR:
Sivardi ſævô imperiô delatus in undas
Balthidis, ad certam ducebar victima mortem:
Et rebar, mihi naufragiô mea fata parari.
Verùm aliud, quàm quod mortis genus affore rebar,
Artifices cædis fabricant; Regisnè ſuonè
Arbitriô, dubium! parvo nam lintre locatus
In mare ſubjectum ſinè remo & remige mittor
Ludibrium ventis; lentîs cruciatibûs undæ
Qui biberem mortes, ſolusq; & remige nullo
Dum pereo, pœnas nondum pereuntis haberem!
Tres ego pœnè dies ventîs jactabar & undîs,
Meq; metus inter mirabar vivere tantos!
Quarta dies aderat, cùm fluminis oſtia tandem
Aſpicio; atq; illuc fluctu petulanter eunte
Deferor, exultans, tempeſtas acta quòd illîs
Emo-

Lechdanus, in geminas geminum diviſerat urbes
Nomen; obeſſe aliquid ne poſſit & audeat extra,
Quærit amicitiam Regnorum. Fœdera Gentes
In ſua ſolicitat; placidusq; horrore repôſto
Vicinis ſtatuit citra arma occurrere terris:
Pulchrius eſſe ratus, quàm ferrô, vincere amore.
Undalus ante alios, qui ſit faciendus amicus,
Dignior eſt viſus: cupit hunc ſibi Lechdanus inter
Reddere vicinos primùm conſtanter amicum,
Et certare parat ſtudiô officiôq; colendi.
Parva mora eſt: placidam quæ poſcat epiſtola dextrã
Scribitur, & TALI PERARATUR CANDIDA SENSU:

Quam tibi vicino de littore mitto ſalutem
Accipe pacatus, Rex Undale. Si tibi nondum
Conſtat honos nomenq; meum, ſum Lechdanus; iſtis
Nuper ab everſa Dania novus advena terris.
Qui licèt hoſtili peragrârim Danica ferrô
Regna hoſpes, dulci tandem modò pacis amore
Arma odi, & noſter vaginam reſpicit enſis.
Non venio iratus; verùm huc, ut amica viderem
Littora, deſcendi: petitur vicinia nobis
Et concors à Marte quies: hanc littora nuper
Iſta dedêre mihi; poſſedi milite terram
Quæ vacat, & Sclavos poſcit nova Patria cives.
Quantum eſt quod deſit? niſi conciliare remotas
Lege ſodalitii terras, & fœdere regnis
Jungere regna meis? te primum, maximè Regum,
Convenio: cordi tibi ſit pietasq; bonumq;,
Ac pacis leges & nomen amoris amare
Diſcamus. Placidam nunc pôrge in fœdera dextram
Et fortis mecum eſſe velis; nec fortior unquam
Quàm ſic eſſe potes: *Regnis ſi mœnia deſint,*
Murus

Enſe patrare nefas, & in uno turpiter omnes
Ulciſci Slavos, partemq; afferre doloris.
Sed Pomerani aderant; qui quàmvis nomine, quāvis
Marte Slavûm læſi, frenabant voce manuq;
Inſanam Jamerîci iram: *Temerarius hoſtem*
Perdere ne vellet, ne perdere ſeq; ſuosq;
Crimine præcipiti; Malè rem primo impete mentis
Sæpè geri, & properos nunquā bene vertere motus!
XXX. Sic altercantes Liſiarchus ùt audiit hoſtes,
Utitur ingeniô; conſulturusq; ſaluti:
Tempora cur (INQUIT) Pomerani perditis, inter
Jurgia? ſi merui, ſi non fero dulcia pacis
Fœdera Legatus, caput hoc demittite morti!
Sed tamen huc inſons, & amicus, & arbiter adſum
Firmandæ pacis. Me Victor Lechdanus ad Vos
Ad Gentesq; alias Legatum mittit, ut armîs
Utq; odiîs poſitîs pacem diſcatis amare,
Sanctaq; amicitiæ vos nomina nosq; colamus.
Nunc furite audaces! & inermem fœdera contra
Perdite Legatum! ſi non & criminis hujus
Gloria, ſtat magnô Danis: ſi fasq; nefasq;
Confudiſſe probant, nec pœnitet eſſe nocentes!
Hìs dictìs movet ille magìs placatq; loquendo
Adſtantes circùm Pomeranos: Ore minaci
Objurgant rabiem Jamerici, ſeq; nocentes
Unius ob culpam, clamant; veniamq; precantur
A Liſiarcho omnes. Premit & Jamericus atrocem
Ignem animi, quantumq; latens ſinit ira dolorq;
Fingit amicitiam, vultuq; fatetur amorem,
Et veniam poſcens: Primis ardoribus (INQUIT)
Parce hoſpes, quorum nulli eſt ſua facta poteſtas.
Vivito ſecurus! ſi quæ mihi crimina Sclavûm
Pecca-

Peccavêre retro, tenet os injuria mutum.
Ah tanti non ſum, fortes qui perſequar hoſtes!
Dum mihi ſtabat honos, & erat regnante Sivardo
Dux titulus, trabeæq; meæ non trunca poteſtas,
Ultio tunc habuit dextras, meruitq; timeri:
Nunc leo quid poſſit proſtratus vulnere? Vive
Liber & incolumis: nullas injuria pœnas
Cogitat, eſt illi quoniam ſinè viribus ira!
Talibûs inter ſe ponunt odia aſpera dictis,
Atq; epulas miſcent, & pocula larga propinant,
Diſſimulantq; iras, vultuq; fatentur amicos.
Sera ſecuturæ jam venerat hora quietis, XXXI.
Cùm Liſiarch, vinô victus, dat membra ſopori,
Exuiturq; habitu, ponitq; à parte tabellas,
Ignarus, patefacta ultro quid epiſtola damni
Afferat, & quantam ſibi ſit paritura ruinam!
Nam vigil ad fraudem Jamericus, ùt omnia vidit,
Diſcere mox cupidus quid portet epiſtola; ſolvit
Vincula faſciculi, chartæq; ligamina, ceras.
Mox legit & relegit, quæ Lechdanus ante tabellis
Commiſit ſcriptô, Regiq; repentè ferenda
Vandalico, dederat: poſcens in fœdera dextras.
Protinus intentus fraudem Jamericus in omnem, XXXII
Invenit occùltum ſcelus; ingeniôq; nocendi
Armatus, ſcriptis nigrantia toxica verbis
Infundit, miſcetq; notis contagia mortis;
Peſtiferiq; characterem dum tabe veneni
Imbuit, omnis ab hoc facta eſt ſibi littera virus:
Littera, temperie quæ nunc innoxia quàmvis,
Sed durata calore mali, cum tempore tantam
Vim caperet poſthac ſicci de felle veneni,
Quantā habet humor aquæ, liquidọ qui citra aconita eſt

At nocet intrà herbam; ſolisq; excoctus ab igne,
Igne venenatas indurat & efficit herbas.
Sic modò charta nigri ſanie malè pota veneni,
Semina fert cædis nutrimentumq; futuræ:
Hêu ſanis funeſta oculis! qualisq; repentè
Lectori nocitura ſuo, laturaq; mortem,
Si legeretur, erat! ſic illam tabe maligna
Sic & peſtifera Jamerich vitiaverat arte,
Ut cûicunq; nocens legeretur epiſtola poſthac,
Afflaret pariter virus, pariterq; bibendam
Pupillarum acie mortem; pectusq; animamq;
Peſte ſua invadens raperet poſt omnia vitam,
Eminus infuſo & mortem jaculante veneno!

Integra nox operi pænè eſt data; pervigil artem
Dum Jamericus in hanc vires intenderet omnes.
Utq; opus exactum eſt, vitiatas arte tabellas
Confictâ ſignat gemmâ; clauſasq; ſupernè,
Quo tacitus tulit ante loco, componit eodem.
Mox abit; & fraudem meditatur, fraude priori
Majorem. *Usq; adeò grandi venientia mole,*
Dum cœpêre ſemel, non nôrunt crimina finem!

XXXIII. Jamq; dies lucem tulit altera: fœdus initur,
Inq; ſacræ leges placidas ſancitaq; pacis
Conveniunt faciles Pomerani. Fœdere pacto
Lætus abit Liſiarch, quà Vandala regna recedunt,
Vandaliam ingreditur miſer erro; fertq; nocentes,
Ignarus ſua ſe diſcrimina ferre, tabellas!

Quò ruis infelix? eſt virus epiſtola, quam tu
Vandalico infectam defers malus advena Regi!
Hæc & amicitiam cùm poſcat epiſtola, paci
Eſt inimica ſuæ; tacitòq; imbuta venenô
Cùm ſit facta nocens, alieno crimine peccat!

ARGU-

ARGUMENTUM Libri 9ni.

I. *REgia Vandaliæ Principum, impendens fluvio Vandalo & monti Vavello, breviter deſcribitur.* (De montis Vavelli appellatione, ubi nunc arx Cracoviæ. Crom: l. 2. Sarn: l. 4. f. 178, Ines in Lech:) *Hîc Undalus Princeps, diu externo Marte vexatus, conſtituit in auxilium adhibere Slavos advenas cum Lechdano; & in negotio mittit.* II. *Mutat idem Undalus propoſitum adventu Horgi cujusdam tabellarii, prævenientis Liſiarchum, & ferentis à Jamerico, monitoriam ſubdolè, epiſtolam. Contenta epiſtolæ leguntur; ubi accuſatur Lechdanus fraudis intentatæ Undalo, per venena in literis mox porrigenda.* III. *Poſt lectam Jamerici epiſtolam, Undalus ab eventu futuro pendet dubius.* IV. *Interea Liſiarchus, Lechdani Legatus, venit cum ſua epiſtola, venenô infecta.* V. *Undalus excuſat lectionem epiſtolæ, à Lechdano miſſæ. Hanc Liſiarchus ipſe dum juſſus legit, ſubita morte exſtinguitur.* VI. *Undalus, morte Liſiarchi conſternatus, fidem adhibet monitis Jamerici. In Lechdanum ùt inſidiatorem invehitur. Ad illum, quoquo modo perdendum, Vandalidas exhortatur.* VII. *Labridus quidam ex Vandalidis,*

ſuam operam offert ad perdendum dolô Lechdanum. Hujus Labridi ſtratagema in paranda fraude, deſcribitur. Item ejusdem Labridi ingenioſus & audax acceſſus ad tentorium Lechdani, pro inferenda eidem nece. VIII. *Lechdanus interea, quieti indulgens, & ſomniô territus, lectô ſe proripit, Ephebos invocat. Narrat ſomnii ſui ſimulacra, necem à Sorore Libria, ſibi Lechdano intentatam repræſentantia.* IX. *Loquente Lechdano, & ſe Viſimirum nominante, exclamat poſt tentoria Labridus, ſeq; Libriam eſſe conclamat, Sororem Viſimiri. Doloſîs fruticibûs excuſſîs, ſe ſe magìs Libriam manifeſtat, licèt militis inſtar armatam.* X. *Lechdanus cum Slavis, ad repertæ Libriæ conſpectum, ſe ſe non capit, præ ſtupore & lætitia. Salutat Libriam; de fato dubio Parentis Lechi miſcens ſermonem. Cupit diſcere antiquos præſentesq; caſus & ſtatum Libriæ.* XI. *Libria reſpondet; docens, de ſuî olim per Ovidam vindicatione à raptu, & in aulam Vandalicam deportatione. De ſua fuga ex Poliæ aula, & de cauſa fugæ. De ſua induſtria in decipienda Polia & aliis, per ingeſtam ſui à fera fati cædisq; opinionem. De mutato habitu & nomine; & latendi modo inter Vandalidas milites. Tandem de cauſis nunc intentatæ necis Lechdano Fratri, ſub mutato nomine latenti. Deplorat errorem ſuum, ſibi mortem intentans.* XII. *Lechdanus*

cum

cum Slavis, impetum Libriæ mitigat. Indicit caſtris ſolennem lætitiam. XIII. *Undalus diſcit, quæ in caſtris Lechdani geſta ſint circa Libriam, ſub nomine & cultu Labridi deprehenſam. Deplorat odia ſua in Lechdanum. Jamericum deceptorem diris devovet. Ex Horgo tabellario extorquet verum.* XIV. *Cognito errore ſuo, Undalus mittit Legatum Ovidam ad Lechdanum.* XV. *Ovidas ad Lechdanum ſive Viſimirum perorat. Veniam pro Undalo poſcit; & ſuppetias contra Dagobertum. Reſponſum accipit. Salutat Libriam.* XVI. *Lechdanus caſtra movet in ſuppetias Undalo. Libria mœret, ob quandam pavendi cauſam: ægrè ſuſcipit ſolatia à Lechdano.* XVII. *Locus, nunc* Venda *dictus, olim Patria Amazonum, deſcribitur: item Dianæ templum.* (De Amazonibus Sarmaticis Sarn. l. 1. f. 23. & 29. Item de Dianæ templo in Vandalia, l. 6. f. 216. Crom. p. 32.) XVIII. *Lechdanus, conſpectis Amazonum turmis, cupit doceri de illis. Ovidas docet originem Amazonum Sarmaticarum & ritum.* XIX. *Libria poſcit à Lechdano Fratre copiam ſpectandi & exercendi ludos Amazonum.* XX. *Libria, in ludo Amazonum victrix, proclamatur. Ab iisdem cum plauſu in Ducem recipitur.* XXI. *Interea Lechdanus, ad Vavellum montem caſtra locat. Excipitur cum plauſu ab Undalo, Vandaliæ Rege; ægrè ferente abſentiam Libriæ.*

Evaſi felix; eadem (quàcunq; licebit)
Ut fugias, vellem: nec te fati ulla ſagitta
Læſerit, in primo ſceleris deprênſa paratu.
Me miſerum! ſed pænè jaces! tua vita ſub ictu
Jam poſita eſt! ſpatiôq; brevî tuq; urnaq; morsq;
Diſtatis; nec te longè tua fata ſequuntur!
Quòvè magìs doleas, nec aperto Marte nec ira
Sterneris audaci: fœda tibi fraude cadendum eſt!
Unde neces veniant, quæris? ne quære: *Sub herba,*
Cùm minimè timeas, anguis latet! Ultima pænè
Fata, tibi ſtragem quæ compoſuêre, ſub umbra
Turpis amicitiæ veniunt: à cardine regnum ut
Vandalicumq; Genus, ſublato Principe, vertant!
Qui Daniam evertit latro, ſpoliavit & omnî
Imperiô Reges, terrarum maxima peſtis
Lechdanus, ad cædes qui Signifer exſtitit omnes,
Te petit ad cædem pariter: ſed Martis aperta
Frangere te quoniam vi deſperavit, ad artem
Vertitur aſſuetam; magicaq; armaverat iram
Fraude, propinandum mittens cũ morte venenum.
Scripſit, amicitiæ referentes verba, tabellas,
Teq; vocat Fratrem, poſcitq; in fœdera dextras
Sævus adulator: ſed enim livore veneni
Imbuit has ipſas, quas ſcripſerat ante, lituras:
Ut, dum fortè tuìs tractas data toxica dextrîs,
Dumq; venenatas relegisq; legisq; tabellas,
Fata bibas oculìs; triſtiq; medullitùs hauſta
Peſte, mali ignarus, miſer, incautusq; legendo
Inter opus moriare ipſum. Liſiarchus ad hujus
Officii partes, ſcelerisq; operisq; Miniſter
Deligitur: defert, Legati munere functus,
Infuſum ſcriptis virus, mortemq; bibendam.

Jllius

Jllius è comitum numero mihi dixerat unus
Omnia; quem captum, ſcitarer ut omnia, torſi.
O! ſi te Patriæ, ſi nobis Undale ſervas,
Fac age, ne ſævos, quos fingit epiſtola, ſenſus
Ante legas, quàm qui tulerit, prior ipſe probârit,
Num poſſit ſinè fraude legi ſiuè crimine charta,
Charta, venenati pleniſſima morte veneni!
Dum loquor, hêu forſan clypeum poſt vulnera ſerò
Tradidi, & ante meos monitus tibi pagina lecta eſt!
Dîi faciant aliter! noſtrîs feliciter uti
Ut poſſis monitîs, & amici vivere donô!
Scribo tamen: ſêu ſit certam latura ſalutem
Littera noſtra tibi, ſêu deprênſura peremptum!
Quod potui, feci: Fortunæ cætera mando!
Jamq; vale; & cladem pereundiq; effuge technas;
Si periiſſe poteſt, qui jam ſibi pænè perivit!
Si fugere ille poteſt, quem pænè hausêre procellæ!

Perlegit ad calcem, Jamerici, falſa monentis, III.
Verba, & paulatim vindictæ carpitur igne
Undalus; inq; Slavos, quos invitârat amicos,
Sævus inardeſcit. Rurſus, dum fraudis in omnem
Advertit ſeriem, deliberat, an ſit habenda
Ulla tuis Jamerice fides & gratia ſcriptis.
Pendet ab eventu; ſi forſan epiſtola Sclavi
Ulla Ducis veniat, quam protinus affore ſponſor
Edixit Jamericus, inunctam felle veneni.

Nulla exſpectandi facta eſt mora. Temporis illo IV.
Articulo, novus hoſpes adeſt Liſiarchus; Olivæ
Qui ramum geſtans, dicta acceptaq; ſalute
Sic AIT: In ſacræ communia fœdera pacis
Poſceris o magni Rex feliciſſime ſceptri
Undale! quòvè magìs faveas, te Lechdanus ingens
Ever-

Dumq; legit, manibûsq; nocentia ſcripta retractat,
Proh facinus! medii confecta parte laboris
Deficit; officioq; cadit moribundus in ipſo!
Scilicet infectus violenta tabe character,
Perq; oculos jaculata necem vis magna veneni
Pœnè hominem præceps oculi confecit in ictu,
Quàmq; loquor, citiùs! ſtupuêre ad mōſtra propinqui
Vandalidæ; factiq; trucis *Quæ cauſa, quis Author?*
Nemo rogat: ſolùm pendent in imagine facti!

Undalus at Princeps non perdit idonea fandi VI.
Tempora: Quosvè (INQUIT) Sclavos habeamꝰ amicos
Diſcite Vandalidæ! qua nunc jacet improbus iſte,
Hac ſinè honore fuit nobis à ſtrage cadendum:
Et caput iſta meum, ſi non ſcita ante fuiſſent,
Perdere debuerant, Liſiarcho ſoſpite, fata!
Nempe venenata, quas ſcripſit, peſte tabellas
Lechdanus imbuerat; caderemus ut impia ſævo
Victima Latroni, lectoresq; ipſa necaret
Charta ſuos! Teſtem ſceleris, præſentia præbent
Funera Legati: qui quàmvis conſcius ipſe
Forſan erat fraudis, tamen ùt cognoverat actum
Deprêndi facinus, morti caput obtulit ultro:
Quævè dedi, *Legeret*, crudelia juſſa peregit
Supplicii pœnæq; metu; ratus eſſe *Ferendum
Pluribus è damnis unum minus!* Atq; ità factis
Si non æqua ſuis, tamen hâud indigna recepit,
Quando metum mortis ſubeundæ, morte fugavit.
Præmia ſed ſceleris ſi pertulit iſta Miniſter,
Authori ſceleris quas ultio noſtra, putatis,
Debebit pœnas? Dux Lechdanus ergo ciere
Has poterat fraudes? noſtrasq; putare ſuperbus
Tam viles animas, ut mortis honore carerent?

Non

Non caput hoc ferrô, nec aperto Marte ſalutem
Invadit noſtram: robur putat omne, venena;
Perq; ſibi aſſuetas pugnat ſinè vulnere fraudes
Comis ad inſidias mundiq; infamia latro?
Hac virtute parat ſibi prædo capeſſere regna
Vandala; ſi capere eſt, evertere cladibûs orbem!
Hêi mihi, ſi Patriam Superi jam perdere noſtram,
Et Daniæ cupiunt nos conſepelire jacenti!
Ante mori liceat, quàm talia cernere monſtra!
At puto, nî rebus mihi nunc ſuccurrit in arctis
Veſtra manus, Cives; evertet ſubdolus ille
Vandaliam! limesq; brevis nos inter & ictum eſt!
Nunc ſinite, ut, cladem qui cogitat hoſtis, amicum
Se ſimulet! Fertis? non & Rivale perempto
Erupturam hyemem prohibetis limine? *Fontem*
O niſi quis tollit, Cives, res naufraga veſtra eſt!
Atq; ego non video, quæ ſit mora tanta malorum,
Nî cadat occulta nece Lechdanus. *Arte retundi*
Ars ſolet; impietasq; ſuo ſe crimine captam
Noverit: ut meritum pœnæ, ſit pœna merentis.
Fraude petit Reges? pereat quoq; fraude, neceſſe eſt,
Et foveam Lechdan, quam fecerat, occupet ipſe;
Ut qua parte ferit, doleat; perimensq; prematur.
Eſtnè aliquis veſtrûm? qui, ſtemus ut, ipſe recuſet
Stare, ſacrare ſuam promptus pro Rege ſalutem?
Eſtnè aliquis, poſito qui vitæ dulcis amore
Devotum Patriæ caput offerat? æthera teſtor,
Mille aras illi ponemus, & oſcula mille:
Dîs quoq; miſcendus, famâ ſuper aſtra feretur!
VII. Regis ad extremas voces repetitaq; verba
Dum dubitant muſſantq; alii; tunc Numine ſenſit
Neſcio quo flagrare animam, qui Labridus inter
Van-

Vandalidas, meruit nomen ſibi militis ingens.
Hic itaq; ante alios, famæ ſuccenſus amore,
Proſilit in medium: *Longìsq; hortatibûs* (inquit)
Hâud opus, o Cives! me me, qui ſiſtor, habetis
Vandalidæ Labridum! ſolem non quarta ſequetur
Luna prius, fató quàm Lechdanus occidat! et, quæ
Extulit Hydra caput, mihi corruat Hercule dextra.
E longo ſpectate nefas. Nec plura locutus
Conſpectu abripitur, donec per devia præceps
Fronde ſuperjecti veniſſet in ardua montis,
Unde oculis poterant jam Slavica caſtra teneri.
Arbor erat; juſſit decreſcere frondibûs illam
Labridus: hinc illinc reſcindit ab arbore frondes,
Obſequiumq; urgente manu, cecidêre virentes
Cum foliis rami, palmesq; eſt omnis ab omni
Stipite detractus. Quod ubi ſucceſſerat; extunc
Corporis orba ſui tua Labride veſtiit arbor
Corpora; veſtivit tergum, frontemq;, caputq;,
Brachiaq;; inq; vicem veſtis ſua membra tegentis
Iſta frutex pectus velaverat, illa lacertos;
Pes quoq; ſub fida radice latebat iturus,
Donec abhinc miles latuiſſet in arbore totus.
Jamq; hinc atq; illinc ab operto milite ramus
Pendet, & obtutu ſpeciem facit arboris; imò
Creverat hâud aliter quàm ſi rubus illa fuiſſet
Machina; quos videat, malè deceptura videntes.
Mox graditur fabricata arbos, animante ſequacem
Fraude rubum: ſtanti ſed pænè ſimillima trunco
Traxit eundo moras, paulatim mole movente
Inſidias virides: donec bene falleret omnes
Slavonas ſpectatores ac obvia caſtra.
Nocte dein quarta, ſolitô flagrantior âuſum

Impu-

Impulit, & medii ſtetit ad tentoria Regis.
Somnô tunc placidô languebat Lechdanus: illum
Labridus ah! illum, feſtinat, ut opprimat enſe!
VIII. O faciles dare ſubſidium pereuntibus ægris
Cuſtodes Superi, fulcrumq; cadentibus eſſe!
Jllo ipſo rerum articulo, quo fraudis ab ictu
Jam periturus erat, ſomnô ſe Lechdanus altô
Proripit; et: *Famuli famuli*, conclamat, *adeſte!*
Accurrunt famuli, ruit acta pavore Juventus,
Et, *Somni pacem quæ cauſa diremerit?* orant.
Jlle autem: O utinã vertant bene ſomnia (DIXIT)
Hæc mea, nec veniant cladis præſaga futuræ!
Dum per muta meus ſe ſcilicet otia ſomnus
Paſceret, & mentem raperet ſimul ecſtaſis omnem,
Ex improviſo ſimulacra ingentia vidi
Sed bona miſta malis, quorum me terret imago!
Nam mihi viſa fuit vultu adventare ſereno
Libria, noſtra ſoror, Patris quoq; Filia Lechi,
Per tot aquas marium, per totq; pericula mundi
Perq; orbem fruſtra Patri quæſita mihiq;.
Hactenus at noſtro licuit gaudere ſopori,
Cætera mœror habet. Nam, proh dolor! ordine verſo,
Dum paro complexus, viſæq; occurro Sorori,
Quæ fuerat, mox Umbra perit; Libriæq; repertæ
Effugit effigies! viſa eſt vaneſcere ſenſim,
Inq; racemiferam citò degenerare cupreſſum!
Arbor erat, funeſta tamen: molisq; ruentis
Pondere dum Fratri mortemq; necemq; minatur,
Expavi! fugienſq; meum per ſomnia funus,
Extuleram vocem, quam nunc audîſtis Ephebi.
Quid ſibi tale velint hæc ſomnia? dicere promptum
Tam mihi quàm nulli eſt. Terrîs non auguror iſtis
Vivere

Vivere Libriam! nec, ſi modò degat in illis,
Noſcere me poſſit Fratrem! mihi Viſimir olim
Nomina mutavi, nunc Lechdanus audior orbi.
At, ſi viſendæ ſpes naſcitur ulla Sororis,
Noverit illa, idem quòd ſim qui Viſimir ante.
O utinam liceat, Libriæ reperire vel umbram!
Dixit: & in gemitus vox ultima deſiit altos.

IX. Proh Superi! quantus tunc poſt tentoria ſtantem
Labridum ſupra cecidit ſtupor! enſe remiſſo
Hæſit inops mentis, ſcelus objurgante pudore?
Et nisi luctati traheret ſuſpiria cordis,
Credere ſemianimem poſſes, vivumq; cadaver!
Ah! quoties ſe ſe lacrymoſa prodere voce
Ardor erat, Fratriq; ſuas abrumpere voces!
Ah! quoties iterum revocata eſt lingua pudore,
Dum ſcelus in mentem redit, & meditata tyrannis!
Dum, (modò quem miseræ cædi devoverat hoſtem)
Deprêndit Fratrem; pariter ſub pelle latentem
Nominis inverſi! ſtabat ſinè voce, ſinè omni
Conſilio motuq; ſuì; formidine lætos
Turbante affectus, ac exſuperante pudore!
Ut tamen optantis, *Libriam cernere*, Fratris
Excepit vocem, properantia verba tenere
Ampliùs hâud poterat; quin voce diſertiùs: *Adſum*,
Adſum! exclamâſſet: *Libriam noſce Viſimir!*
Exſiliêre locô Slavi, quæruntq;, *Quis eſſet*,
Qui modò Libriam ſe ſe clamâſſet, & unde?
Ecce autem hâc illâc ſpatium non ſegniter omne
Dum circumſpiciunt, cernunt (nam nocte fugatâ
Lux dedit uſum oculis) ſolùm tentoria circa
Stare rubum & frondes, nìl quidquam tale loquentes.

Tum Labridus fruticum vinclis hinc indè reductis
Exſertans vultum: *Me me cognoſcite* (clamat)
Cùm Duce Slavones! non ſingunt arbuta Daphnen
Quæ loquor, & lateo viridi ſub fronde Puella!
Jlla ego, ſi neſcis o Viſimir, illa reperta
Libria ſum! de qua tibi nunc, tua fata timenti,
Garrula nocturnus ſiniverat otia ſermo!
Caſtrorumq; tuos ut adirem ſæva Penates
Lechdane, ego fraudes & me dolus arbore clauſit!
Dixit: & umbrantes circùm ſua corpora ramos
Exuit, ac fruticum paulatim emergit amictu.

Aſt ubi depoſita ſtetit arbore, militis inſtar,
Tunc novus adſtantes ſtupor occupat: arma quòd ejus
Hærerent lateri, & cataphracta viriliter eſſet!
Libria mox cauſam cupiens dare: *Deſine* (dixit)
Lechdane mirari, quòd me tegat horrida palla
Militis in morem! dubites ne me eſſe Libriam,
Femina ſum, tantùmq; Viri ſimulacra geruntur!
Si dubitas, veræq; petis ſua ſigna Sororis,
Cerne, precor, faciem, quàmvis ferrugine tinctam!
Tincta eſt, & latuit; ne femina noſcerer ulli;
Nunc ſed aperta dabit Fratri documenta reperto!
Sic ait: & ſe ſe de caſſide deq; trilice
Lorica exarmat, Fratremq; Slavosq; ſalutat.

X. Non exſpectati perculſus imagine facti
Lechdanus, hàud aliter viſa gaudere ſorore
Suſtinuit, quàm ſi raptam de funere, rurſus
Fortunæq; ſuæ calcantem fata, videret!
Quodq; ſit in lætis rebus, fieriq; quod ipſum
Vix credas potuiſſe, diu ſinè voce pependit!
Ut tamen hàud dubiæ ſenſim manifeſta Sororis
Signa recognovit; complexibûs usq; levatis

Lætior

Lætior occurrit, mergitq; in pectore pectus.
Mutua Fraternus per & oſcula perq; ſalutes
Se diſpenſat amor: lacrymis non illa pepercit
Lætitia, & miſtis comes ibat vocibus amnis!
Tunc Slavos ea fama rei, quocunq; locatis
In ſpatio tuguris caſtrenſibus evocat omnes!
Undavêre locum; properatoq; agmine cuncti
Seq; Ducemq; premunt: neq; turbæ acceſſerat ullus
Qui non attonitus ſimilisq; ſtuperet hianti,
Geſtu, ocuľis, vultu, plauſum Ducis indè ſecutus.
  Interea poſtquam reſpiravêre parumper
Gaudia, ſenſimq; eſt flendi intermiſſa voluptas;
Lechdanus exclamat, plaudĕsq; Ita voce PROFATUR:
Vivisnè? o capiti noſtro prælata Libria!
Vivisne? annè tuâ defunctæ fallimur umbrâ?
Tenè ego, crudeli raptam mihi forte Sororem
Accipio reducem? tellus hæc reddere nobis
Te poterat? nec, quam rebar periiſſe, perîſti?
O nimiùm iratos miſeris, nimiùmq; faventes
Humanos caſus! rapiunt, perimuntq; nocentq;
Ut proſint; damnôq; redux Fortuna paretur!
Nî modò ſciremus, quis credere poſſet; eodem
Fonte ut manarent fletus & gaudia? noſtræ
Lætitiæq; eadem fieret, quæ cauſa doloris?
Tu Soror hoc præſtas; dum quæ te ſuſtulit olim,
Sors eadem reddit; tanquam rapuiſſe puderet!
Salve, Lechææ decus inviolabile famæ
Libria! quæq; Lechi multum modò demere fatis
Es viſa, & cineri vitam inſpirare Paterno!
Soſpite te, Manes inter, ſe vivere credet.
  Suntnè tibi, o Frater, rapti (Libria Reponit)
Fata audita Lechi? mihi certè fulminis hujus

Nota nimis fama eſt; terras quæ ſparſit in iſtas:
Occubuiſſe Lechum, merſumq; in fluminis alveo!
O utinam, noſtras (Dux Lechdanus Excipit) aures
Quæ modò fama gravis prope vulnerat, obruta multâ
Nocte foret! Lechi, qui me mihi charior ipſo eſt,
Ut mala neſcirem, ſic ad mala dura dolerem
Fortè minùs: *Leviùs dolet ignorata cicatrix!*
Sed tamen in miſeras crudelis nuntius aures
Venerat, & noſtrum dejecit vulnere pectus!
Vela marî faciens, authore Palæmone pridem
Edidici, ſortemq; meam, Patriæq; ſepultæ
Excidium! & Lechi, quam fecerat unda, ruinam!
Quid mihi tunc mentis? cùm me Patriſq; tuîq;
Spe Soror orbatum, deſolatumq; viderem!
Ut mala lenirent Superi tamen iſta; jacentem
Erexêre tuîs Viſmirum obtutibûs! ibit
Mollior hora meis poſthac, te Soſpite, fatis.
Dic tamen unde venis? quæ te Fortuna latere
Hîs voluit terrîs? cur hæc modò geſſeris arma?
Finxiſtiq; marem, ſexûs oblita prioris?

XI. Plura rogaturo, ſic RETTULIT ORE LIBRIA:
Ah utinam noſtros Frater chariſſime caſus
Diſcere tu poſſis, & eosdem ipſa docere!
Sed, mala quot fuerint, quorum reminiſcor ad usq;,
Dictu difficile eſt! aliquid tamen ordiar horum,
Principiô quorum, lacrymas non ipſe tenebis!
Ex quo me rapuit Paris ille ac advena Roſſus,
Non rate raſit iter, nec fecit in æquore tonſas,
Nec Grajos petiit; veluti cum Patre putâſti
Viſimir! utq; ambos bis falleret; æquore ab ipſo
Quò fugiturus erat, vertit curſumq; fugamq;,
Ignotasq; mihi terras trux prædo petebat.

Ah!

Aſt ubi poſt paulò rumor tulit, *Occubuiſſe*
Belli acie Lechum, merſumq; in fluminis alvêo,
Tunc mea ſpes cecidit! ſimili Patremq; querebar
Atq; meum ſimili periturum morte pudorem!
Ne poſſet periiſſe, fugam meditabar ab aula.
Ergo ſubobſcuræ per muta ſilentia noctis
Flens fugio; Poliæq; arcem, murosq; relinquo.
Vicinamq; peto ſylvam. Res mira! ſub ipſo
Veſtibulo ſylvæ, lacerum deprêndo cadaver,
Semeſiq; artus hominis! ſed ſigna perempti
Nulla aderant hominis; niſi quòd ſua maſcula veſtis
Arboris è ramo ſupra pendente repôſta,
Eſſe virum docuit laniatum dente ferarum.
Expavi obtutu primo! ſubitusq; priorem,
Quo fugiebam aulas, vicit timor ille timorem.
Ut rediit mihi mens: *Aliena pericula* (dixi)
Sint mihi tutando clypeusq; & parma pudori:
Arma habitusq; viri, cujus modò contuor oſſa,
Induar, effingamq; Virum: ſecura latebit
Sic mea Virginitas, cùm maſcula ſumpſerit arma.
Sic loquor: et, veſtes permutatura priores,
Pallia depono muliebria, maſcula ſumo
Militis occiſi: digitoq; jacentis in uno
Suſpendo gemmam, quam nuper pignus amoris
Ipſa mihi dederat conſignavitq; Polia.
Deniq; quidquid erat, quo crederer eſſe perempta,
Inq; avidos rictus ſævarum abiiſſe ferarum;
Quidquid erat, cunctos quo poſſem fallere, feci.
Fraus pia ſucceſſit. Primo nam mane per omnes
Dum quæror latebras; deprênſa cadaveris oſſa
Me perſuaſerunt laniatam dente ferarum.
Tunc lacrymis Polia ſuis, tunc Undalus omnem
Eſſe

Eſſe modum, vetuit Magis at Polia dolori
Nocte dieq; vacans, & Regia tecta relinquens,
Lemiſaletani ſucceſſit in atria templi
Placatura Jovem: tanquam mihi cauſà fuiſſet
Mortis, & errati veniam ſibi quærere vellet.
Aſt ego deceptis aliis, non deſino fraudem
Continuare piam: tunicîsq; ocreîsq; perempti
Militis, atq; armîs & cyclade corpus adorno.
Abdo caput galeâ, faciem ferrugine tingo,
Ægide firmo latus, lateriq; accommodo ferrum,
Virgineo quo conſulerem ſecura pudori.
Ipſa mihi poſthac priſco cognomine verſo
Mutavi titulos, ut oportuit; atq; virili
Nomine *Labridum* me dixi cauta Libria.
Non placuit poſthac traducere ſegniter annos;
Caſtra ſequi placuit. Bellonæ ſigna ſequendo
Depoſui nec mente Virum, nec cyclade: ſævo
Nomina devovi Marti; fortesq; ſequebar
Fortior ipſa Viros; clypeôq; inſignis & haſtâ
Militis in morem merui ſtipendia Virgo.
Hactenus exſtiteram, Frater chariſſime, noſtrô
Felix ingeniô; tempus quæ ſervor ad iſtud,
Vandalidis tutò convivere Civibus auſa.
Cur tamen huc vêni, quæres o Lechdane? curvè
Arboreî ornatûs geminata fraude tegebar?
Ah pudet! ah doleo! neq; me ſatis ipſa fatebor
Eſſe ream: rea ſum ſed criminis attamen hujus!
Scilicet in noſtras, ſi neſcis Lechdane, terras
Fama tulit: *Regem quòd in Undalum & arma tuliſſes,*
Et malè Vandalico Regi nocitura venena:
Atq; notis virus, quod ferret epiſtola, ſcriptis
Texiſſes: Fraudisq; fidem mox præbuit hujus

Aſt ubi poſt paulò rumor tulit, *Occubuiſſe*
Belli acie Lechum, merſumq; in fluminis alvêo,
Tunc mea ſpes cecidit! ſimili Patremq; querebar
Atq; meum ſimili periturum morte pudorem!
Ne poſſet periiſſe, fugam meditabar ab aula.
Ergo ſubobſcuræ per muta ſilentia noctis
Flens fugio; Poliæq; arcem, murosq; relinquo.
Vicinamq; peto ſylvam. Res mira! ſub ipſo.
Veſtibulo ſylvæ, lacerum deprêndo cadaver,
Semeſiq; artus hominis! ſed ſigna perempti
Nulla aderant hominis; niſì quòd ſua maſcula veſtis
Arboris è ramo ſupra pendente repôſta
Eſſe virum docuit laniatum dente ferarum.
Expavi obtutu primo! ſubitusq; priorem,
Quo fugiebam aulas, vicit timor ille timorem.
Ut rediit mihi mens: *Aliena pericula* (dixi)
Sint mihi tutando clypeusq; & parma pudori:
Arma habitusq; viri, cujus modò contuor oſſa,
Induar, effingamq; Virum: ſecura latebit
Sic mea Virginitas, cùm maſcula ſumpſerit arma.
Sic loquor: et, veſtes permutatura priores,
Pallia depono muliebria, maſcula ſumo
Militis occiſi: digitoq; jacentis in uno
Suſpendo gemmam, quam nuper pignus amoris
Ipſa mihi dederat conſignavitq; Polia.
Deniq; quidquid erat, quo crederer eſſe perempta,
Inq; avidos rictus ſævarum abiiſſe ferarum;
Quidquid erat, cunctos quo poſſem fallere, feci.
Fraus pia ſucceſſit. Primo nam mane per omnes
Dum quæror latebras; deprênſa cadaveris oſſa
Me perſuaſerunt laniatam dente ferarum.
Tunc lacrymis Polia ſuis, tunc Undalus omnem
Eſſe

Eſſe modum. vetuit Magìs at Polia dolori
Nocte dieq; vacans, & Regia tecta relinquens,
Lemiſaletani ſucceſſit in atria templi
Placatura Jovem: tanquam mihi cauſa fuiſſet
Mortis, & errati veniam ſibi quærere vellet.
Aſt ego deceptìs aliìs, non deſino fraudem
Continuare piam: tunicîsq; ocreîsq; perempti
Militis, atq; armìs & cyclade corpus adorno.
Abdo caput galeâ, faciem ferrugine tingo,
Ægide ſirmo latus, lateriq; accommodo ferrum,
Virgineo quo conſulerem ſecura pudori.
Ipſa mihi poſthac priſco cognomine verſo
Mutavi titulos, ut oportuit; atq; virili
Nomine *Labridum* me dixi cauta Libria.
Non placuit poſthac traducere ſegniter annos;
Caſtra ſequi placuit. Bellonæ ſigna ſequendo
Depoſui nec mente Virum, nec cyclade: ſævo
Nomina devovi Marti; fortesq; ſequebar
Fortior ipſa Viros; clypeôq; inſignis & haſtâ
Militis in morem merui ſtipendia Virgo.
Hactenus exſtiteram, Frater chariſſime, noſtrô
Felix ingeniô; tempus quæ ſervor ad iſtud,
Vandalidis tutò convivere Civibus auſa.
Cur tamen huc vêni, quæres o Lechdane? curvè
Arboreî ornatûs geminata fraude tegebar?
Ah pudet! ah doleo! neq; me ſatìs ipſa fatebor
Eſſe ream: rea ſum ſed criminis attamen hujus!
Scilicet in noſtras, ſi neſcis Lechdane, terras
Fama tulit: *Regem quòd in Undalum & arma tuliſſes,*
Et malè Vandalico Regi nocitura venena:
Atq; notìs virus, quod ferret epiſtola, ſcriptìs
Texiſſes: Fraudisq; fidem mox præbuit hujus

Ille, venenatæ tulerat qui toxica chartæ.
Juſſus enim Liſiarch legere ac verſare tabellas,
Triſtè cadit; fatôq; ſuæ pœnam effugit artis.
Jamerici monitis, fraudem Rex Undalus illam,
Integer evaſit: modò quam non auguror eſſe
Frater amice tuam: *Scelus eſt pugnare venenîs.*
Credideram tunc eſſe tuam! dextrasq; paravi
Neſcia, (me miſeram!) vindictæ præſtò ferendæ!
Namq; ubi tentatæ fraudis, per Vandala caſtra
Rumor iit: ſubitò, *Simili qui vindicet artem,*
Arte, ſcelusq; illud, petitur, *qui puniat unus.*
Audendi partes prima occupo: deq; racemis
Feci tuta dolos, & ab arbore fictilis arbor
(Me miſeram!) malè currebam, ſed ſæva cucurri;
Usq; ſub ipſius, quæ ſtant, tentoria Fratris!
Me Duce in exitium Fratris, me milite vêni,
Sic me ſævus amor, ſic me mea fata trahebant!
Jamq; meô fodiendus eras, o Lechdane, ferrô,
Nî te Viſmirum fidiſſima ſomnia meq;
Servâſſent! hêu me! quòd Fratrem pænè peremi!
Nam nihil excuſor, quòd vivas Lechdane ſalvus,
Si volui, ut caderes! ſcelus hoc ſi mente nefanda
Conſcelero: *Satìs ad culpam, delinquere velle!*
Nec, licèt erroris ſub imagine crimen obumbrem,
Peccatô abſolvor! culpamq; inſcitia fruſtra
Excuſat! ſi Fratris amor foret integer in me,
Poſt cortinam etiam debebat noſcere Fratrem:
Ne daret exemplum terris infame, Sorore
Solus ab ipſe tua Frater quòd chare perires!
Ut ſcelus ergo meum plectam nece; cuſpide eadem
Utar in hoc pectus! Dixit: gladiumq; prehenſum
Intendens cordi, vulnus cædemq; ferebat.

Quid

Quid facis? Exclamant Slavi! Dux Lechdanus ipſū XII.
Hoc repetit, vocemq; ferens: O deſine (CLAMAT)
Iraſci Soror ipſa tibi! Quid neſcia, culpam
Velle nocere vocas? miſerandaq; nomina culpæ
Imponis Libria tuæ? pius egerat error
In mea fata Deos: quorum modò Numine Fratrem,
Perdere cùm velles, ſalvum facis. Excute vultu
Triſtitiam: titulum ſervati Fratris habebis,
Meq; tibi vitamq; ſimul debere fatebor.
Quis tamen hic error, quæ tanta & ſæva phreneſis
Vandalidas egit, quòd me nîl tale merentem
Suſpiciunt odiis, ac aggrediuntur ùt hoſtem?
At teneo Authorem facti! Faber hujus & Author
Eſt ſceleris Jamerich! ſed non lætabere longùm
Latro meæ famæ: quæq; in nos ſubdola vertis,
In caput ipſe tuum redeuntia tela videbis.
Differat ira tamen pœnas; dum tempus habendum
Lætitiæ, & feſtô relevanda eſt cura ſerenô.
Patre quidem amiſſo, (fatear ſi vera) videtur
Ardua res, gaudere parùm: tamen iſta, Sororem
Quæ reperiſſe dedit, læta effluat hora, neceſſe eſt.
Sic ait: utq; dies ſolenniter omnibus ille
Lætus eat, mandat. Convivia læta parantur
Cantusq; & cytharæ: lituiq;, ſevera Gradivi
Vox nuper, dare nunc gratantia claſſica juſſi.
Vandaliam interea rumor prætervolat omnem; XIII.
Ire dies Slavis celebres, Libriamq; repertam
Verſari in caſtris, quam Lechdanus ipſe Sororem
Noſceret eſſe ſuam. Viſa eſt res omnibus illa
Eſſe nova, eſſe omni major monſtrôq; fideq;!
Undalus ante alios, poſtquam conſumpſerat omne
Mirando ſpatium, VOCES ERUPIT IN ISTAS:

Ergo

Lance diu ſed opus dubiumq; expendere verum!
Quod retro peccatū eſt, modò corrigo. Protinꝰ Horgū
Perjuri per quem Jamerici littera miſſa eſt,
Corripite, o famuli! cruciatibûs edere verum
Cogatur; doceat cauſam, Authoremq; veneni.
Dixerat. At famuli rapiunt perniciter Horgum, XIV.
Fraudisq; explorant ſeriem, verumq; requirunt,
Et tormenta adhibent. Fraudis documenta repertæ
Ut tandem patuêre; Senem tunc mittit Ovidam
Undalus ad Sclavos: *Veniamq; precaberis* (inquit)
Erroris: mecumq; hoſtem communiter unum
Lechdanus invadat, ſimul auxiliaria caſtra
Huc agat usq;, roga: fœdus quod poſtulat ille,
Ipſe probo; coràm liceat ſed poſſe paciſci.
Hîs monitîs inſtructus, iter Legatus Ovidas XV.
Suſcipit absq; mora, Slavûm caſtra obvia versùs:
Quæ vix contigerat, ramum popularis olivæ
Prætendens, Regis tentoria vadit ad ipſa.
Hîc ubi Libriam Fratremq; in limine ſtantes
Obvius accepit; ſuſpirat & ingemit inter
Gaudia; & ignorat, priùs hanc illumnè ſalutet.
Ut verò iratos Viſimiro in Principe vultus
Aſpexit: Frontem quæ nubila Lechdane (DIXIT)
Contraxêre tuam, pridem mihi flebilis Augur
Vaticinatus eram; juſtè excandeſcis & ardes
Obtutu noſtro! *Nemo niſì turbidus hoſtem*
Aſpexit: poterasq; meum non aure ſed irâ
Dignari officium; Liſiarchi ut funera veſtri
Supplició luerem, atq; ſuas legatio poſſet
Utraq; ferre vices. Quin, ſi placet, utere ferrô,
Et caput hoc armîs Vindex ulciſcere: ceſſas?
Iraq; lenta tua eſt? triſtem ſi Lechdane pœnam

Nos

Facta prement annos, nomenq; in ſæcula veſtrum
Ibit, & immenſo ſemper narrabitur ævo.
Dummodò delicti, quo nunc peccavimus in te,
Deponas mentem memorem: per ſacra Libriæ
Nomina, per Superos precor in tua vota ſecundos,
Per, ſi quid merui de te bene: Regis amicus
Eſſe velis noſtri, gratæq; domeſticus Hoſpes
Lechdane Vandaliæ, Vindexq; admitte vocari!
Dixerat. Hûic placidus cõtra SIC LECHDANUS INFIT:
Grande operæ pretium reor eſſe, ignoſcere culpæ;
Quæ, niſi Libriam fatô traxiſſet eodem,
Crimen erat; nunc error erit, fatumq; vocanda eſt.
At nihil hîc odiô poſſim deprêndere dignum
Præter Fortunam, deceptis quæ modò vobis
Cæca fuit! maculam tamen hanc detergat, oportet,
Pœnèq; ſit factô pia, quo fuit impia; quasvè
Diſſociavit amicitias, componat easdem.
Et quoniam veſtro placet ire in fœdera Regi,
Eſſe velint Superi rata fœdera; veſter ut hoſtis
Sit meus; atq; ambo cunctis timeamur uterq;
Undalus & Lechdan, cunctis vel amemur uterq;.
Nevè fides inter ſtet verba; ubi Lucifer ortum
Craſtinus extulerit, quæ cernis caſtra movebo;
Quasvè quibusvè juvem, vires mox viribus addam.
Quò magìs hoc præſtem, facis o fortiſſime, noſtræ
Libriæ quondam Vindexq; & Tutor, Ovida!
Ante tamen Slavi moveant quàm Signa Gradivi,
Eſſe velis noſtrî Spectator & aſſecla plausûs,
Quos jubet, ut fiant, Libriæ Fortuna repertæ.
Hæc ait: & ſecum deducit in intima lætus
Atria Legatum: cûi poſtquam facta Libriæ
Copia viſendæ, lacrymìs priùs ille profatur,

Voce dein, lætum *Salve*, dat & accipit unà,
Fatorumq; vices plorans inquirit in omnes,
Diſcere quamq; avidus ſortem caſusq; Libriæ:
Dumq; rogat, diſcit; pendensq; loquentis ab ore
Eventus varios hinc adſtupet, indè docetur.
Viſa brevis fuit illa dies, & tempora plauſu
Defuerant: Tanta eſt lætis in rebus orexis!
XVI. Veſper iit: tenebrîsq; actîs jam craſtinus ortum
Lucifer extulerat: cùm Lechdanus undiq; lectîs
In cuneum caſtrîs, celerat curſumq; viamq;;
Quàq; patent ſua Vandalici loca pervia regni,
In loca ſe penetrat, quaſi tergo incumberet hoſtis.
Carpit iter Libria comes; ſed triſtis eunti
Viſa comes Fratri! mentem timor anxius urget,
Curaq; non curis retroacta prioribus impar.
Mox conata ſui mœroris promere cauſam:
Hêi mihi, ſi noſtrô Viſimire paciſceris (INQUIT)
Fœdera connubiô! melior Fortuna fuiſſet
Noſtra priùs, quàm ſi mihi te deprêndere Fratrem
Sic datur, ut Regis fiam (quod abominor) Uxor
Vandalici! ſemel o! noſtra eſt ſacrata Dianæ
Virginitas: vitâq; priùs quàm laude pudoris
Me caruiſſe velim! Lecho nam Judice nôſti
Eſſe ratum; *Quanto quòd tempore Viſimir eſſes*
Soſpes & immunis, tanto quoq; tempore nulli
Uxor habenda forem: quòd me qui conjuge conjux
Dignus erat, tu ſolus eras, nisì Frater & eſſes.
Atq; hujus voti, Lechus, dum viveret olim,
Me certam fecit: nunc o ſpes omnis in unum
Te mea congeſta eſt! Hêu Viſimir effice, nulli
Vivere nupta Viro valeam, vel vivere ceſſem!
Pone (REFERT LECHDAN) timidas Soror optima curas
Pro-

Propoſiti ſecura tui: me ſoſpite nulli
Uxor eris; nolit velit Undalus iſta, licebit.
Dixerat. Aſt illam quàmvis Fraterna parumper
Verba levant, trepidat; dubiæq; in imagine tota eſt
Sortis, & eventu mœret defixa futuro.
Victa dolore foret; niſi qui poſt tempore parvo
Obtigerat caſus, meliùs ſperare juberet.
Eſt ubi *Venda* locus, templum fuit ante Dianæ; XVII.
Planitie longi faciem formante theatri
Aſſurgens clivus: campos proſpectat ab una
Parte; ſuper fluvium (cûi nomen Vandalus) altum
Parte alia pendet. Non campus Amazonas alter
Qui caperet, melior laudabiliorq; fuiſſet.
Hìc modò femineæ viſæ diſcurrere turmæ,
Belligeraq; acie pulchros diducere gyros,
Atq; haſtis haſtas, telisq; opponere tela,
Atq; agitare acres, Slavîs mirantibûs, enſes.
Quas ubi peltatas trans littora fluminis altì XVIII.
Stare in equis, contraq; rapi, telìsq; rotatìs
Inſtaurare acies & circumducere gyros
Lechdanus aſpexit, Sic INTERPELLAT Ovidam:
Quodnam è longinquo mihi cernitur agmen, Ovida?
Quas acies, cuneosq; armìs hinc indè micare
Aſpicio? bellat, luditnè ex ordine Mavors,
Falſaq; pro veris ſumit muliebriter arma?
Vix ego, quas toto decantat Amazonas orbe
Fama, putare iſtas non cogor Amazonas eſſe.
Sunt, quas eſſe putas o Lechdane (REDDIT Ovidas)
Hic locus, hæc Patria eſt, quæ prima Heroidas orbi
Edidit. Hinc ortum bellò celeberrima cepit
Pentheſilea ſuum, quo tempore ſceptra tenere
Sauromatæ viſi: ſed iîs per Vandala pulsîs
Arma,

Voce dein, lætum *Salve*, dat & accipit unà,
Fatorumq; vices plorans inquirit in omnes,
Diſcere quamq; avidus ſortem caſusq; Libriæ:
Dumq; rogat, diſcit; pendensq; loquentis ab ore
Eventus varios hinc adſtupet, indè docetur.
Viſa brevis fuit illa dies, & tempora plauſu
Defuerant: Tanta eſt lætis in rebus orexis!

XVI. Veſper iit: tenebrîsq; actìs jam craſtinus ortum
Lucifer extulerat: cùm Lechdanus undiq; lectìs
In cuneum caſtrìs, celerat curſumq; viamq;;
Quàq; patent ſua Vandalici loca pervia regni,
In loca ſe penetrat, quaſi tergo incumberet hoſtis.
Carpit iter Libria comes; ſed triſtis eunti
Viſa comes Fratri! mentem timor anxius urget,
Curaq; non curis retroacta prioribus impar.
Mox conata ſui mœroris promere cauſam:
Hêi mihi, ſi noſtrô Viſimire paciſceris (INQUIT)
Fœdera connubiô! melior Fortuna fuiſſet
Noſtra priùs, quàm ſi mihi te deprêndere Fratrem
Sic datur, ut Regis fiam (quod abominor) Uxor
Vandalici! ſemel o! noſtra eſt ſacrata Dianæ
Virginitas: vitâq; priùs quàm laude pudoris
Me caruiſſe velim! Lecho nam Judice nôſti
Eſſe ratum; *Quanto quòd tempore Viſimir eſſes*
Soſpes & immunis, tanto quoq; tempore nulli
Uxor habenda forem: quòd me qui conjuge conjux
Dignus erat, tu ſolus eras, niſi Frater & eſſes.
Atq; hujus voti, Lechus, dum viveret olim,
Me certam fecit: nunc o ſpes omnis in unum
Te mea congeſta eſt! Hêu Viſimir effice, nulli
Vivere nupta Viro valeam, vel vivere ceſſem!
Pone (Refert Lechdan) timidas Soror optima
curas Pro-

Propoſiti ſecura tui: me ſoſpite nulli
Uxor eris; nolit velit Undalus iſta, licebit.
Dixerat. Aſt illam quàmvis Fraterna parumper
Verba levant, trepidat; dubiæq; in imagine tota eſt
Sortis, & eventu mœret defixa futuro.
Victa dolore foret; niſi qui poſt tempore parvo
Obtigerat caſus, meliùs ſperare juberet.
Eſt ubi *Venda* locus, templum fuit ante Dianæ; XVII.
Planitie longi faciem formante theatri
Aſſurgens clivus: campos proſpectat ab una
Parte; ſuper fluvium (cûi nomen Vandalus) altum
Parte alia pendet. Non campus Amazonas alter
Qui caperet, melior laudabiliorq; fuiſſet.
Hìc modò femineæ viſæ diſcurrere turmæ,
Belligeraq; acie pulchros diducere gyros,
Atq; haſtis haſtas, telisq; opponere tela,
Atq; agitare acres, Slavîs mirantibûs, enſes.
Quas ubi peltatas trans littora fluminis altì XVIII.
Stare in equis, contraq; rapi, telìsq; rotatìs
Inſtaurare acies & circumducere gyros
Lechdanus aſpexit, Sic INTERPELLAT Ovidam:
Quodnam è longinquo mihi cernitur agmen, Ovida?
Quas acies, cuneosq; armìs hinc indè micare
Aſpicio? bellat, luditnè ex ordine Mavors,
Falſaq; pro veris ſumit muliebriter arma?
Vix ego, quas toto decantat Amazonas orbe
Fama, putare iſtas non cogor Amazonas eſſe.
Sunt, quas eſſe putas o Lechdane (REDDIT Ovidas)
Hic locus, hæc Patria eſt, quæ prima Heroidas orbi
Edidit. Hinc ortum bellô celeberrima cepit
Pentheſilea ſuum, quo tempore ſceptra tenere
Sauromatæ viſi: ſed iîs per Vandala pulsîs
Arma,

Arma, vel excisîs; Dux Pentheſilea coëgit
Agmen Amazonidum, bellare viriliter auſa
Femineosq; animos longæ transmittere famæ.
Viribûs aſt impar, Fortunæ ceſſit, & iſtas
Deſeruit terras, aliumq; migravit in orbem.
Non tamen hanc Matronæ omnes ſunt usq; ſecutæ:
Pars ſed Amazonidum non contemnenda remanſit
Littore, quod cernis. Nec poſthac vile putârunt,
Imperium legemq; pati, parereq; ſummis
Vandaliæ Ducibus: parent, legemq; ſequuntur,
Et fera, quæ veniunt, exercent bella; coluntq;
Caſtra: nec à ſtudiis revocata eſt dextera primis,
Arma gerunt, numeròq; viros & viribûs æquant:
Tempore quas ſenſim ſibi ſuccedente novando,
Poſſe ſuum vetuère mori nomenq; decusq;,
Nomen Amazonidum ne nullo viveret ævo.
Una præeſt cunctis: cujus poſt funera rurſus
Altera præficitur: ſed quæ ſinè labe pudoris
Virgo ſit, armigeræ non inficianda Dianæ,
Belligeraq; alias quæ vincat laude Sorores.
Noſcere vis, cur Femineæ modò Signa phalangis
Extulerint velut ad pugnam, circòq; cohærent?
Ludus hic eſt, morisq; ſacri decurritur uſus.
Scilicet è vivis rapta eſt modò maxima Ductrix,
Agmen Amazonidum quæ rexerat, Heliopæa.
Ad nova tunc agiles ſe ſe ſolennia Nymphæ
Accingunt, Dominæq; datur nova cura creandæ.
Hinc acies, hinc compoſitò ſtant agmina circò;
Quæ jaculò melior, cûi certior haſta vel enſis,
Quævè manûs cursûsvè magis valet impete, certant;
Pulchraq; pro bello peragunt imitamina belli.
DIXIT: & adſtantûm movit, narrando, ſtuporem.

Libri

Libriæ ſed enim muliebris prælia Martis XIX.
Non ſatìs audîſſe eſt: lepidas ſpectare cohortes,
Et miſcere manus, & equeſtri accedere ludo
Eſt amor: Indè preces, Fratrem quibûs urgeat, addit;
Femineasq; acies liceat ſibi viſere, poſcit.
Lechdanus indulget. Curſum rapit illa, viamq;
Conficit; & ſpatio ſe ſe prope ſiſtit eodem,
Agmen Amazonidum quo ludicra cœpit inire
Prælia, & ad poſitas ex ordine tendere metas.
Arbor erat: viridi pendebat ab arboris armo
Annulus, arrectis & meta & terminus haſtis.
Ergo ubi certandi clarum dedit ærea ſignum
Buccina; certatur: nimboq; Heroides illæ
Procurrunt ſimiles: rapit hanc, rapit impetus illam,
Alternæq; ruunt, curſumq; artemq; fatigant,
Donec inauratam teres annulus induat haſtam.
Tantus amor palmæ eſt, laudumq; immenſa cupido!
Sed licèt hîs illîs tereretur Olympias haſtîs,
Vana fuit; titulôq; manus haſtæq; carebant.
Namq; omnis, ſibi qui potuit promittere palmam,
Pænè ictus ſinè honore fuit: languere ſuperbè
Majoremq; aliquem ſibi poſcere laurea viſa eſt.
Nec mora: Captandæ ſuccenſa cupidine laudis XX.
Libria adeſt: vibransq; haſtam, *Sibi copia detur*,
Poſtulat; & pulchri depoſcit honoris arenam.
Hoſpitis ad vocem, generoſæ Heroides omnes,
Altera in alterius jactantes lumina vultum,
Continuêre haſtas & ſuſtinuêre morari,
Dantq; locum: et, primus peregrinæ curſus alumnæ
Quàm veniat felix, arrectîs vultibûs hærent.
Jlla autem alipedi miſsîs violenter habenîs
Emicat, & mediam ſummo pede libat arenam.

P Vix

Vix bene proſiluit, nec jam poteratis, ubi eſſet,
Vos quoq; Amazonides cognoſcere! nulla ſagitta
Haſta nec, aût celeri magis emicat impete fulmen.
Proxima tum metæ, telum feliciter orbi
Ingerit: ùtq; ſuam teres annulus induit haſtam,
Dîi bene! conclamat Victrix, laurumq; repoſcit,
Terq; quaterq; locô gyrum ſe vertit in unum.
Fit ſonus! & ſubito fremuerunt omnia plauſu!
Vivat io! clamant; *Vivat Regina Decusq*;
Dux & Amazonidum, Libria! innectite lauru
Victricis frontem, Dominamq; agnoſcite veſtram
Agmina Amazonidum! Sic ſe ſe hortantur, & illam
Circumeunt, laurôq; ornant, Dominamq; ſalutant.
Armigeræ poſthac ſubeunt Delubra Dianæ,
Thuraq; dant; & thure dato, ſolenniter arce
Victricem excipiunt, & agunt pro more triumphos.
XXI. Lechdanus interea valido cum milite fixum
Perficiebat iter: donec, quà monte Vavellus
Tollitur, Heroum turba comitante veniret.
Undalus hûic, lecto comitum Procerumq; Senatu
Obvius it; Slavumq; Ducem per ſigna requirit.
Ut convenerunt, commiſſaq; dextera dextræ eſt;
Fit plauſus! ſeſeq; per intervalla ſalutant
Officiô certare pares. Miſcentur, & inſtant
Sclavi & Vandalidæ; cultu geſtuq; decori
Hinc illinc peragunt ſolennia. Quisquis adeſſes
Spectator; non aſſereres, an Sclavus an ille
Vandâlus eſſet amor: Tanta eſt vicinia amoris!
Ut verò audierat titulos ſortemq; Libriæ
Undalus; ægrè equidem, nec pro illo tempore famam

Pertulit:

Pertulit: at tacito mœrens abſentis amore
Diſſimulat vultum; ne non ſolenniter ille
Vandalidis Slavisq; dies decurreret: omni
Lege ſodalitii, gratæq; paratibûs Aulæ
Subvenit Hoſpitibus. Quantum violentibûs olim
Certatum eſt odiîs, tantum ut certetur amore.
Hoc Ducis officio, latè vaga gaudia ſerpunt,
Lætaq; Vandalicum diſcurrit fama per orbem!
Hêu quàm magna brevi venient ſolatia cunctis,
Poſt triſtes iras, ſi, quæ latuêre, patebunt!
Lætior exoritur ſua ſic poſt nubila Phœbus,
Majoremq; diem, latuit quò longiùs, affert.

 ARGU-

ARGUMENTUM
Libri 10mi.

I. *GNeſnæ rumor ſpargit, premi Undalum Regem ab hoſtibus, invadentibus Vandaliam, Vavello monti ſubjectam. Polia cũ Lacho ſuppetias ferunt Undalo, contra Dagobertum & alios.* II. *Polia & Lachus in via rumorem excipiunt de reperta Libria, cujusdam Lechdani Sorore. Polia credit famæ. Non item Lachus.* III. *Lachus caſtra locat ſub Vavello monte. Miratur alia caſtra ex adverſa fluvii parte, ſub vexillis aurei velleris. Suſpicatur aliquid de Viſimiro. Scandit rupem, Vavello monti ſubjectam; Unde diſcernere poſſit militiam ſuſpectã.* IV. *Pari ſuſpicione Lechdanus, eundem ex adverſo montis clivum ſcandere nititur.* V. *Interim deſcribitur, Saginvidæ Invidiæq; in Lachi & Lechdani felicitatem furor; baſiliſcum poſthac ſimulantis.* VI. *Lechdanus, montis clivum prior aſcendit. Sternitur aſpectu baſiliſci.* VII. *Eundem montis clivum Lachus aſcendit. Baſiliſcum objectâ clypei laminâ interimit.* (Ubi poſthac draco, dictus Olophagus, à Craco interfectus, juxta Sarn: l. 4. Guag:) VIII. *Lachus, ſtratum hominem de terra ſublevans, agnoſcit Viſimirum Filium. Lamentatur. Excipit vocem languentis Viſimiri, ægrè inclamantis Patrem.*

IX.

IX. *Slavi ex utroq; littore concurrunt ad vocem lamentantis Lachi. Agnoſcunt ſe invicem. Condolent Ducibus.* X. *Polia cum Undalo, ad nuntium de caſu Lachi, ex arce proſilit. Solatur Lachum. Spem facit ſalutis in Viſmiro: qui ſibi fomentîs redditus, in arcem defertur.* XI. *Libria in arcem Vavelli properat, audito Lechi adventu & caſu Viſmiri.* XII. *Gaudia Lachi & ſermo ad Libriam. Gaudia Poliæ & aliorum, ex reperta Librià.* XIII. *Undali officia in Hoſpites.* XIV. *Viſmirus offert munera Lacho, gladium & galeam, collata ſibi quondam à Vnide Henetica. Polia cognoſcit, arma hæc olim à Geſerico rapta; & de illis inquirit.* XV. *Viſmir reſpondet, arma ejusmodi ſibi olim collata ab Antiſtite Henetica; cujus nomen per ambages reticet.* XVI. *Polia gratulatur Lacho munera. Poſcit ex pacto, Libriam in ſponſam Undalo.* XVII. *Lachus dubiô reſponsô eludit Petitores: mœrente Libria.* XVIII. *Negotium interrumpitur adventu Legati Alemaniæ, à Dagoberto Rege ad Undalum miſſi, in cauſa pacis ineundæ.* XIX. *Lachus ad conſpectum Legati mutat vultum, & exardeſcit.* XX. *Miratur Polia; ſeq; interponens, cauſas irarum quærit ex Lacho.* XXI. *Lachus reſpondet; Legatum hunc eſſe Roſſum, Raptorem olim Libriæ ſuæ.* XXII. *Undalus jubet excedere Roſſum trepidantem: aliumq; ad fœdera Legatum*

requirit à Dagoberto, Alemaniæ Rege. XXIII. *Roſſo abeunte, Undalus ſolatur Lachum: quæritq; de genere & Patria Roſſi.* XXIV. *Lachus docet, Patriam, genus, fraudes, & ſimulatam ſecum conſanguinitatem Roſſi.* (De 3tio Lechi Czechiq; Fratre putativo, Roſſo: Crom: l. 1. c. 14 Guag: f. 1. Vitihindus Saxo f. 159. c. 3.) XXV. *Roſſus in via deliberat de ſuo ſtatu miſero. Decernit, fraudibûs avertere pœnam ſibi imminentem. Comites ſuos in via per fraudem interficit: & accepto vulnere lætus properat ad Dagobertum.* XXVI. *Roſſus ſuæ Legationis falſâ relatione (quaſi eſſet violatus ab Undalo) perſuadet Dagoberto bellum adverſus Undalum.* XXVII. *Dagoberti, Alemaniæ Regis furor, exſtimulantis ſuos ad bellum.* XXVIII. *Roſſus præmittitur à Dagoberto cum parte copiarum.* XXIX. *Undalus, audita irruptione hoſtili, legit copias ex variis Vandaliæ provinciis.* (De Vandalis in varia particularia nomina diviſis. Sarn: l. 4. & 13. Crom: f. 530. Opalin: f. 15. & 23.) XXX. *Jungunt ſe Vandalis Polachi, Lachô, & Viſimirô Ducibûs. Accedit Libria cum Amazonum copiis.* XXXI. *Dagoberti copiæ, Germo, Drance, & Roſsô, Ducibûs.* XXXII. *Prodeunt in aciem copiæ Lachi & Undali, contra Alemanos. Lachus in corpore belli. Viſimir in dextro cornu cum Libria. Undalus in ſiniſtro.*

XXXIII.

XXXIII. *Lachi exhortatio ad ſuos.* XXXIV. *Pugna atrox inter Lachi aciem & Alemanos.* (De Dagoberti cum Slavis pugna Sarn: l. 4. Guag: f. 7. Crom: f. 24.) XXXV. *Viſimir occidit Germum.* XXXVI. *Libria Heroina Roſſum aggreditur & occidit. Alemanos in fugam agit.* XXXVII. *Vandalidarum virtus in altero cornu. Undalus occidit Drancen* XXXVIII. *Dagobertus, ſuorum auxilio accurrit. Congreditur Undalo. Inermem Undalum transverberat. In alterum cornu abripitur.* XXXIX. *Lachus in corpore belli fortiter pugnat. Acceptô nuntiô de caſu Undali, ſerò accurrit in auxilium. Undali extrema vox ad Lachum, & mors.* XL. *Lachus, vindicare ſtatuit cædem Undali. Provocat Dagobertum ad ſingulare certamen.* XLI. *Duellum Lachi cum Dagoberto, Alemaniæ Rege: ubi victus ſuccumbit Dagobertus.* (De Lachi cum Rege Alemaniæ duello & victoria, Crom: l. 2. de Lecho. Guag: f. 7. Sarn: l. 4. f. 172. (XLII. *Alemanorum clades, ſubducentium cadavera Regis & Ducum. Apoſtrophe ad Lachum Victorem.*

 LIBER

Ergo legit, Slavo quotquot ſub Marte merebant,
Vexilla & cuneos: ſignîs còëuntibûs itur,
Accelerantq; viam Lacho Duce. Ferre viarum
Nec Polia fugit diſcrimina: quin comes ire
Partiriq; metus, ſortemq; ſubire perîcli,
Dum Lachus hanc ſubeat, petit: & comitatur euntẽ,
Quà celeri fluviô ſua littora Vandalus haurit.
Aût minùs, aût medium non ampliùs indè peregit II.
Lachus iter; cùm fama recens, non triſtis ùt ante,
Spargitur, inq; aurem meliora prioribûs affert:
Vivere Libriam, nuper quam Vandala regna
Flevêre amiſſam; quam Lechdanus advena dicat
Germanamq; ſuam, Fraterq; vocetur ab illa.
Obſtupuêre diu! vocisq; Polia còâctæ
Vincula diſſolvens: Quo Numine ludimur (INQUIT)
O Lache! debuimus quam nullam credere, vivit!
Soſpes & aût illa eſt, aût creditur eſſe, Libria!
At priùs ad fontem retro flumina poſſe redire
Rebar, ab exitio quàm poſſe redire Libriam!
Quidquid id eſt, *Incerta ferat sêu certa; meretur*
Dum miſeris affert ſolatia, rumor amari!
Sit, precor, hâud dubius; quæq; attulit, omina firmet!
At certum reor eſſe tamen; ſic *credula* dictat
Res amor! Ah noſtrum ſibi cor, certiſſimus Augur,
Neſcio quæ tacito prægustat gaudia ſenſu!
Dixerat. Hûic contra Lachus: Non gratior (INQUIT)
Lux foret ulla mihi, quàm quæ modò nomina noſtræ
Vindicat ex umbris Gnatæ! ſed lubrica noſtram
Fama fidem ſuſpendit adhuc; mendacia ſæpè
Per ſua quæ didicit citò creſcere: ſpemq; metũq;
Alternat rumor, quem per vaga murmura forſan
Aucupor infelix! ah non ſibi ritè cohæret

Rumor

Rumor hic acceptus! cogor dubitare parumper,
Atq; putare aliud, quàm quod mihi credere fas ſit.
Nunquid ego Gnatum, qui Lechdanus eſſet, habebã?
Num fuit & Libriæ Frater quoq; Lechdanus ullus?
Lecho Gnatus erat quondam Viſimirus, & idem
Libriæ Frater longa aſſuetudine dictus:
Quem tamẽ hêu pelagus rapuit! neq; fama repertam
Hoc cum Fratre refert, ſua per commenta, Puellam.
Nulla fides famæ eſt, licèt hanc novus approbet Author:
Libria nulla vel eſt, aût altera nominis hujus.
At quoniam *Miseri cupimus, quod amamus, ut adſit,*
Sit licèt hoc abſens, præſens credamus adeſſe,
Atq; oculîs miſeri falli patiamur apertîs!
Qui modò ſolaris, ſi non malè rumor aberras,
Adventu falſus verusvè probabere noſtro!
Sic ait: & dubii ſuſpendit gaudia cordis,
Lance pari librans utraq; in ſorte futuros
Pectoris affectus: ut, ſi reperiſſe cupitum
Non liceat, menſuram animi ſibi ſervet eandem,
Fortunæ par *Fata* volubilis utraq; ferre,
Quæ prævisa minùs feriunt. Mens æqua nocentẽ
Sola poteſt ſortem perferre, fruiq; ſecundîs.
III. Jamq; adeò feſſus longa regione viarum
Lachus, ad objectæ proſpectum venerat arcis;
Quæ montis juga celſa tenens, ſplendore docebat
Hîc ſua Vandaliæ poſſeſſã Palatia Regi.
Planities infra, monti ſubjecta Vavello,
Dividit in geminos viridaria flumine ramos.
Pulchra loci facies, nec caſtris ulla locandis
Aptior. Huc lectas acie deſcendere turmas,
Sepoſitoq; labore viæ, conſidere caſtris,
Quæq;

Quæq; data eſt, Lachus jubet indulgere quieti;
Dum redeant vires, atq; invitentur ad arma.
Vix bene gramineô ſed enim Slava agmina campô
Conſtiterant; procul ecce procul ſe mira videndam
Scena offert; pariterq, metu pariterq; ſtupore
Arrexit Lachum! oppoſitæ nam margine ripæ
Trans fluvium cernit Signa altera & altera caſtra.
Lechdani erant acies, poſitæq; ex ordine turmæ,
Nuper in auxilium longinqua à Balthide ductæ.
Lachus ùt has vidit, putat hoſtica caſtra; quibuscum
Rés ſit agenda armìs. Dubitat tamen, in ſtatione
Cur teneat ſe ſe miles, nec bella minetur,
Pace ſed in ſumma neglecto Marte quieſcat?
At poſtquam aurato vexilla nitentia latè
Vellere, & à veteri ſplendeſcere Colchide vidit,
Tum magìs atq; magìs ſtupuit; ſecumq;: *Quis ille*
Miles, & unde Slavìs veniat (deliberat) *armìs?*
Noſco pares acies, & Colchica Vellera; nobis
Agnoſcenda diu! Noſtra hæc, o noſtra fuêre,
Quæ labarìs fulgere ſacerrima ſtemmata ſpecto!
Quo Duce nunc veniunt, quæ jam mutavimus olim?
Talia dum Lachus ſecumq; recogitat; illi
Viſimir in mentem venit: *An non Lechdanus ille,*
Libriæ Fratrem quem fama ferebat, adeſſet?
Nulla in amore mora eſt! dubia quod mente revolvit,
Scire cupit Lachus; vocemq; habitumq; Viroſq;
Ut propiore loco dignoſcere poſſit, anhelat,
Itq; celer. Famulìs ſed non tamen utitur ullìs,
Non exploratorem adhibet; ne gaudia primus
Quis ſua delibet: ſortis ſibi nuntius ipſe
Deſtinat eſſe ſuæ, ac ejusdem præco futurus.
Nîl magìs eſt gratū, quā quod tibi feceris Author.

Montis

Montis ad introitum, quà fortè Vavellus in auras
Tollitur, abſciſſo ſurgit vetus aggere clivus,
Unde in utramq; patet liber proſpectus arenam,
Hoc fluvii cupias sêu illud cernere littus.
Dirigit huc greſſum Lachus; ſolertiùs unde
Exploratores oculos immittere caſtris
Suſpectis poſſit, vultusq́; habitusq́; virorum
Auditasq́; etiam plenè internoſcere voces.
IV. O hominum rerumq́; vices! quàm credita nulli
Quæ ſæpè eveniunt Superûm ſancita Deorum!
Scilicet hoc ipſo te Lechdane tempore caſus
Par agit atq́; error! dextræ de margine ripæ
Namq́; ubi vidiſti veniſſe incognita caſtra;
Quid veniant? rerum miraris neſcius; *unde et*,
Quisvè Aquilas miles vexillis præferat illis?
Tantaq́; nox animi eſt, ut clivum montis eundem
Lechdanus infelix, diſcriminis inſcius idem,
Scandere deproperet; peregrinam pleniùs unde
Militiam, atq́; hominum genus internoſcere poſſit.
Obſtabat medium gemina inter littora flumen,
Lintre parat fluvium tranare, & ſcandere rupem.
V. Invida ſed ſemper lætis Maga, non tulit illum
Ire ſua ſinè nube diem; reſcindere docta
Succeſſus primos, contraq́; venire ſereno!
Namq́; ubi, quos toto diviſerat æquore quondam,
Et Patrem Guato, Gnatumq́; occurrere Patri
Viderat infrendens: O quanta potentia (DIXIT)
Eſt mea! ſi, potui quos æquore & orbe diremptos
Reddere, jam coëunt! noſtrumq́; irrideat alter
Hiſtrio livorem, vires vocet alter inermes!
Aurea ne fierent ſub Lacho regna, verebar;
Condidit ille Urbes, & condidit aurea regna!

Libriam

Libriam rapui, ac auratum Velhis in illa ;
Dicitur hêu noſtram fugiſſe Libria rapinam!
Reſtabat; fieret nêu omni ex parte beatus,
Et ſaltem Gnato Lechus conſorte careret:
Hoc quoq; fata negant! cêu conſenſiſſet in unum
Filius & Genitor, redeunt feliciter! atq;
Tempore poſt tanto Gnatum Patremq; per æquor
Disjectos, & utrumq; tamen, locus excipit idem:
Moxq; Patri fient ſua gaudia, gaudia Gnato!
Hoc ego ſuſtineam? num ſic cecidêre lacerti,
Ut mea deſperet deſpectaq; dormiat ira!
Ibo Deos contra. Quoniam ſed viribûs uti
Non licet, ingeniô Lechum aggrediamur, oportet.
Ah! quàm penè nihil violens agit impetus! hoſtis
Fortiùs ut doleat, ſim pigra ferendo dolores.
Viderit, inveniat Gnatum; per & oſcula centum
Prodigat affectus & conſolantia verba:
Cùm tamen inveniet, nolit deprêndere; nolit
Viſmirum vidiſſe Lechus: reddatur & illo
Maximus infelix, quo fiet tempore felix!
Hæc ait: & colubri transformat corpore corpus
Ipſa ſuum. Alterius ſed non ſerpentis imago
Illa magìs placet Invidiæ, quàm funera viſu
Qui jacit, atq; oculi Baſiliſcus conficit ictu:
Bellua ſæva, atrox; qua nulla effingere poſſit
Certiùs Invidiam; pariter cûi palpebra ſævit,
Pupillæ livore ardent, oculusq; venenum eſt:
Dum videt alterius ſortem, dolet, invidet, ægra eſt;
Læditur & lædit, pariterq; & languet & odit.
Mox colubri poſtquam Maga dira migravit in artus,
Inſiluit ſcopulo, ſeſeq; recondidit antri
Excelſi latebrîs: ſecurior unde venena
Evo-

Evomat, atq; illàc lethalis euntibus obſtet.
VI Jam lintre expoſitus conſcenderat ardua clivi
Lechdanus, & viſum ſcopulo demiſit ab alto,
Hàc illàc circumſpiciens; *Quæ Signa? quis hoſpes*
Miles? quidvè velit? Sed rupis obambulat omne
Dum latus; ecce unâ vibrans tria ſibila linguâ
Se rapit èq; cavo baſiliſcus provolat antro!
Utq; erat ignitìs oculìs, radiôq; vibravit
Peſteq; pupillæ non evitabile virus,
Eminus inſolitam cædem jaculante veneno!
Senſit prima mali contagia Lechdanus: at non,
Vertere conanti, licuit retro vertere plantas!
Peſtiferum, violens, & cum nece miſſile virus
Tabe hominē poſtquā penetrante afflaverat omnem,
Stare ſimul vetuit. Languenti corpore pronus
Labitur; iratus fatis, quòd cladis acerbæ
Neſciat Authorem; nec, quo cadat, invenit hoſtem!
Tum coluber prædam ſuperinſilit; atq; ſuperſtans,
Unde gulam paſcat moribundi corpore, quærit.
Feciſſetq; nefas, ſi non cöeuntia membris
Ferrea membrorum munimina, ferrea caſſis,
Ægis et, & thorax, cataphracta infraq; ſupraq;
Arma, morarentur baſiliſci impervia dentem.
VII. *O niſì conjuncti, nunquam ſoliti ire dolores!*
Ecce ſub id tempus, ſcopuli de parte ſiniſtra
Inſcius & præceps (ſic illum fata ferebant!)
Lachus adeſt! ſtratumq; hominem, ſupraq; chelidrū
Stantem, in prolapſo figentem corpore morſus,
Aſpicit! utq; oculos anguemq; averteret à ſe,
Objecit Clypeum. Nova fercula prædo venire
Senſerat à tergo ſerpens: convertitur; atq;
Dum parat in Lachum defigere lumina, fixit
In

In clypeo obtutum. Speculo pellucida ſuppar
Lamina præſagi Clypei, jaculabile virus
Et faciem reddit colubro; peſtemq; remittit
Peſtibus infandis, anguemq; reverberat angue.
Viribûs exutum, ſeſeq; occidier ipſo
Senſerat ùt ſerpens, extremâ concitus irâ
Tollitur in ſublime, volensq; incumbere Lacho
Decidit in fluvium, moriensq; exſtinctus in illo eſt.
Hæc ubi facta: Lachus moribundo in pectora lapſo VIII.
It laturus opem: ſuſpirat & indolet illi,
Et velut ignoto lacrymas daret: *Hêu miſer* (inquit)
Quisquis es! & miſeri, qui te genuêre, Parentes!
Sic ait: & propior factus, miſerabile corpus
Tollit humô. Mirum! quem jam cognoſcere poſſet,
Cernit! erat Viſimir, facie noſcendus & armîs!
Diriguit Lachus! vocemq; incluſerat illi
Circumagens animam violens dolor! Ut ſibi tandem
Excuſſit ſe ſe: *Tunè es, chariſſime*! clamat;
Sicnè Patri miserande redis? O utile quantum
Non reperiſſe fuit, quàm ſic deprêndere Gnatum!
Luctus erat levior, cùm te ſuper æquora quondam
Rebar ùt amiſſum! nunc o mea gaudia cerno
Per lacrymas! ſpecto morientia viſcera noſtra!
Obductumq; annîs luctum reſcindere cogor!
Quò raperis Viſimire? mane! mox ibimus unà!
Ah! pudet ereptô Genitorem vivere Gnatô!
Sic gemit, & Gnatum complectitur; oraq; ad ora
Admovet, & vitam cupit inſpirare priorem!
Voce Patris dum ſe toties totiesq; vocatum
Viſimir exaudit; languentia lumina tollens
Agnoſcensq; Patrem, viresq; adnixus in omnes,
Murmure ſubmiſſo quod vix audire liceret;

Ah!

Ah! vivisnè Pater? dixit: rurſumq; relabens
Suppreſſit vocem! vires concepta ſed augent
Gaudia deprênſo Genitore: utcunq; tenere
Luctatur fugientem animam, paulùmq; morari,
Inventi viſu Patris dum plena recedat!
Tunc ſpirare videns Gnatum Lachus: *Optime Fili*
Vivis an? exclamat: *tuus o! tuus o! Pater adſum!*
Sed niſì tu vivis, mihi ſum non vivere certus!
Sic ait: & preſſans moribundum ad pectora Natum,
Voce, ſinu, manibûs, Juvenem reficitq; fovetq; !

IX. Singultus, clamor, lamentaq; triſtia Lachi
Attonitos monuêre utroq; in littore Sclavos.
Conſternati utrinq; ruunt; hi Lechdano, at illi
Laturi auxilium Lacho: faſtigia montis
Ut tandem tenuêre, ſtupent! ſe ſeq; ſuosq;
Ore recognoſcunt longo poſt tempore Slavos!
Iſte Patrem, Natum ille videt; Fratresq; viciſſim
Fratribus occurrunt: hic mirabundus amici
Vultu hæret, pariterq; alii fit cauſa ſtupendi.
Non capiunt ſeſe; raptimq; hinc indè gregatim
Itur in amplexus, & amor miſcetur amori.
Sed vetuit præſens in gaudia longiùs ire
Infelix Fortuna Ducum: dum tacta venenô
Ora hinc Viſmiri, lacrymas lugentis at illinc
Aſpiciunt Lechi! flentes dant oſcula flenti,
Et ſe ſe miſeros inter ſua gaudia clamant!

X. Jam pridem, Lechi caſtrîs Polia relictis,
Undale grata tuas Genitrix inviſerat arces,
Hoſpitis externi prænuntia; qui tibi longè
Milite cum valido caſtra auxiliaria ferret.
Dumq; ità Vandalidas & Gnatum ſedulà Slavis
Conciliare ſtudet: venit en, qui triſtia Lechi
Nuntius

Nuntius ore ferat, confuſaq; gaudia narret.
Continuò cuncti, caſûs & ſortis acerbæ
Fulmine perculſi, properanter & arce relicta
Funduntur, quà mortifero trux vipera dente
Percuſſit Juvenem, proprioq; perempta venenô eſt.
Ut venêre; vident triſti plena omnia luctu,
Signaq; non ſolitæ vix edicenda ruinæ!
Mota Polia fuit; Lechiq; dolore gementis
Ipſa licèt doleat, tamen & ſolantia præſtò
Verba ferens: Sævos miſerando è pectore luctus
Mitte (AIT) o Heros! non eſt lethale quod angit;
Incolumemq; brevi Gnatum de peſte videbis.
Scilicet hoc, Juvenem quod peſte afflavit acerbâ,
Virus, non ultra quàm vivat vipera, novit
Serpere; cèu animâ colubri ſpiraret eâdem:
Cum flamma commune habet, ac ùt deficit igne
Deficiente calor; baſiliſci morte remittit
Sic quoq; vim virus, morienteq; deficit illo.
Ergo neci quoniam nunc eſt data bellua, peſtem
Defeciſſe putes atq; exſpirâſſe venena,
Et Juveni à media redituram morte ſalutem.
Hæc ait: Et faciem vivacia fundit in omnem
Balſama; roris odoriferi vis plurima donec
Viſmirum animet, vitamq; reſuſcitet ægram.
Tunc & opem, medicæ quicunq; repentè Magiſtri
Artis erant, adhibent; longum & cum morte futura
Certamen peragunt: fomentis poſſit ut iiſdem
Perdere peſtis atrox, ægervè reſumere vires.
Ut valuiſſe aliquid ſua cognovêre Magiſtri
Pharmaca; lecticæ impoſitum tunc arcis in ædes
Deportant Juvenem: ſenſim ſibi redditur ille,
Creſcit & in vires, non tam medicamine & herbis

Quàm Patris obtutu: cujus quò longior ore
Pendet, quò cupidus dat plura capitq; viciſſim
Oſcula; ſentit eò plus ægra valeſcere membra.
XI. Ecce venit longo ſtipata examine Matrum
Libria, Amazoniæ Ductrix fortiſſima turmæ.
Namq; ubi Viſmiri Lechiq; unàq; Poliæ
Mirandos caſus, permiſtaq; triſtia lætis
Audiit: adventu Patris ſibi vivere demum
Viſa, rapit greſſum; per & obvia caſtra, Vavelli
Arcem intrat, nomenq; Lechi faciemq; requirit.
Ut ſtetit ante oculos; proh! quis confuſa ſtupore
Gaudia ſive Lechi, ſeu gaudia facta Poliæ
Explicet! obtutus in mutua lumina fixos
Attonitiq; tenent, nullumq; ad verba diuq;
Inveniunt uſum! lacrymis ſolùm eſſe diſertis
Tunc licuit, ſenſim per muta cadentibûs ora!
XII. Victa ubi lætitiæ tandem eſt violentia: Tenè
O teneon' ego te, Libria miſerrima! (Lechus
EXCLAMAT) Vix hoc manibus, chariſſima, noſtris,
Vix oculis credo! vivisnè, an contuor umbram
Ipſe tuî? vivis, video; vultumq; Libriæ
Agnoſco Lechus! quæ nulla & naufraga nuper
Viſa es, ſalva redis, & inobruta mole ruinæ!
O Superi, quàm ſunt vobis mortalia curæ! ut
Nulla manus miſeros, niſi ſublevet altera, jactet!
Tempore, quo Natum reperi, amiſiſſe videbar!
Tempore, quo flendum eſt, rurſus gaudere reperta
Me Libria jubes! conſanguinitate ligavit
Quis Deus infauſtam Lechi, ſortemq; ſecundam?
Si tamen hac noſtræ placuit vice ludere ſorti,
Cur parcam fatis, non cur indigner, habebo.
Nil renuo; *Veniant quævis mala, dummodò proſint;*
Plagaq;, dum pretium ferat, omni ſæviat ictu!

Secta

Secta nihil nocuit, quæ vena redintegrat ægrum
Corpus, & admiſſo paulatim vulnere ſanat!
Dicebat Lechus: cùm verba intercipit illi
Impos Lætitiæ, Polia; humerisq; Libriæ
Incumbens, lacrymas atq; oſcula miſcet in unum:
Amplexuq; dato, caſus inquirit in omnes,
Et flentem narrare jubet: *Quo munere Divûm*
Vivat adhuc? cur arce olim ſe ſe abſtulit? & qua
Arte diu latuit, ſortem ſervata per omnem?
Imperiis paret Libria; ſubindeq; Lechi
Indè, Polia, tuis affuſa & pendula plantis,
Læta ſuos narrat caſus, iterumq; renarrat.
Fatorumq; vices memorat cauſasq; ſuorum.
Aure avida excipiunt, quidquid docet illa; dolendū
Sêu ſit lætum aliquid: pro materiaq; loquentis
Alternant animum; mœrent, gaudentq;, ſtupentq.
Lætus at Hoſpitibûs, quos una còégerat hora, XIII.
Undalus, officii partes deſcendit in omnes,
Ne Viſimire tibi, sêu Lecho ſive Libriæ
Non bene certatum præſens impendat honorem:
Prodigus in Reges, quidquid ſibi Regia gaza
Offerat, expendit; primoq; ad mutua ventum eſt
Munera, pignoribûsq; iſthinc certatur & illinc.
Quidquid & auguſtæ poſthac ſibi poſtulat uſus
Lætitiæ, longi diſcriminat otia feſti.
Tempora ſunt cunctis plauſû ſolenniter acta XIV.
Per bis quinq; dies: decimaq; ùt luce valentes
Collegit vires Viſimirus, grandia Patri
Dona offert, validumq; enſem, galeamq; comantem,
Munera Vaticinâ quondam collata Vinide:
Quæ ſolertì oculò poſtquam Polia ſeverum
Duxit ad examen: Spolium quodnam Hoſpes & unde

Hoc (AIT) attuleris? quid & hæc ſibi munera poſcunt?
Antiqui cerno galeam Victoris & enſem
Vandali; & hæc eadem, niſi me mea lumina fallunt,
Arma, (recordor enim) noſtrô pendentia templô;
Lemiſaletanis quæ prædo noviſſimus aris
Prædo Deûm Geſer, noſtriq; infamia Regni,
Diripuit; cupiens alieno horrore timeri.
Dic, precor, annè aliquis cecidit tibi victima ferrô
Geſer, & hîs victum Viſimir ſpoliaveris armîs?

XV. O utinam ex veſtro (RESPONDET VISIMIR) hoſte
Non ingratam Ultor potuiſſem ſumere pœnam!
Vivit adhuc ſed fortè Geſer, transmiſit in Afras
Claſſem ubi oceanô, nobis non agnitus, oras.
Sed tamen hæc eadem devota antiquitùs arma
Lemiſaletanô fuerant quæ pendula templô,
Quæ Geſer rapuit, nunc Lecho munera tradô:
Qua ratione tamen, quæres, erepta Geſero
In noſtras venêre manus? factumq; modumq;
Longa referre mora eſt: paucîs tamen iſta doceri
Tantisper liceat. Non hæc ego cæde Geſeri
Arma tuli; Henetici ſed ſacra Antiſtita templi,
Veſtalisq; eadem Soror inter prima Sorores,
Omnibus ex donis ſummum dedit; armaq; curæ
Eſſe relicta ſuæ docuit, dum forſitan illàc
In Lybiam Geſer transmittere vela pararet,
Lemiſaletanæ linquens ſacra munera prædæ:
Hæc commiſſa ſibi, Cuſtos ſanctiſſima, quondam,
Veſtalisq; aræ præſens Antiſtes & Augur,
Dum mihi conferret: *Lacho dabis hæc, dabis,* inquit,
Arma; Lacho ſacra ſunt, promiſſaq; munere Divûm.
Scire Genus cupitis, veteremq; Antiſtitis ortum?
Hujus ego poſthac (ne frangat & obruat unam

Altera

Altera lætitiam) nomen, ſortemq;, genusq;
Narrator cunctis forſan gratiſſimus edam;
Præcipuèq; Polia tibi, quam res ea tangit.
Interea, quæ ſacra tuli tibi munera Leche,
Accipe; quemq; illis felix uſurus in hoſtem.
Sic ait: & reticens *Vinidis* nomina, tradit
Arma Lacho, validumq; enſem, galeamq; comantem.
Jlle datis gaudet, doniq; recentis amore
Captus, longè oculos oblato munere paſcit;
Et modò prægrandem galeam capiti arduus aptat,
Nunc latus ad gladium, lateriq; accommodat enſem,
Nunc ſe ſe totum ferro metitur in omni.
Quem ſuper intendens Polia, & lætior ambas XVI.
Attollens cum voce manus: O Numina, (CLAMAT,)
Quàm bene faviſtis noſtris præſentia rebus!
Obtuleram clypeum, præſagi munera trunca
Depoſiti, Lacho: reſtabat caſſis & enſis,
Arma, Jovis templo defixaq; raptaq; nuper.
Rapta Deus nunc arma refert, Lachoq; faventem
Fortunam & tanti complet præſagia fati.
Et jam jure novo, quà latè regna recedunt
Lemiſaletanæ, potis es tua dicere, terræ,
Leche, tuis Polachis qui das modò nomina Lachus.
Sed ſi promiſſis homines fas ſtare Deosq;,
Libriæ in pretium ſi jam pulcherrima Sclavis
Regna damus, ſervare fidem te Leche neceſſe eſt;
Undalus ut Libria potiatur conjuge, ſancti
Fœdere connubii: noſtri Socer indè vocari
Ut Gnati poſſis, & Origo Stirpis ituræ.
Hæc (memini) quondam noſter Legatus Ovidas
Pacta tulit; quondam juraſti ea Lechus Ovidæ:
Lege interpoſita; *Ne Libria nupſerit ante*

Quàm Genitor præſens ad pronuba pacta venires.
Conditio impleta eſt: adventu Vandala Leche
Regna tuo gaudent; fœdus te Præſide firma,
Et Pater ad tædas jubeas accedere Gnatam.
Dummodò ne noceat, quòd ſit devota Dianæ
Libria, ſacrâritq; ſuum ingenioſa pudorem.
Nam quòd Amazoniæ Dux ſit modò facta catervæ,
Parva rei remora eſt. *Nulla eſt ſinè lege modoq;*
Regula; quamq; tulit, potis eſt, ut mitiget Author!
Quòdſi præſtanda eſt reverentia juribus ulla,
Prima, Pater, lex eſt: bene juſſeris omnia, crimen
Grande erit, imperio Patris non flectere mentem.
DIXERAT. At precibûs ſimul Undalus inſtat iiſdem,
Supplicat & Lecho, Sponſamq; ex fœdere poſcit.

XVII Anceps conſilii, quæ dicta reponeret, hæſit
Lechus: ad antiqui dum tempora fœderis illinc
Reſpicit, hinc illi præſens occultaq; cauſa
Libriam tædis prohibet ſpondere petitis.
Congrua res eſt viſa, nihil decidere contra,
Atq; Petitores dubiîs eludere verbîs.
Tum voce ambigua pro tempore pauca reponit:
Perfacilem precibus ſemper, ſolitumq; negare
Se nihil, ex æquo quoties & juſta petuntur.
Sic ait: atq; aliò ſermonem avertit; at intrà
Rem tacitus volvens ſecum deliberat; ulla
Num via condictum poſſit reſcindere pactum,
Pactum, Hymenæe tuus quod amor concluſerat olim.
Exanimem ſed pænè facit par cura Libriam;
Tot modò poſt caſus poſt mille pericula, ſe ſe
Dum didicit pavitans in jura jugalia poſci.
Victa angore foret, niſi miſſus ab orbe remoto
Legatus, dubias ad connubialia jura

Ritè

Ritè diremiſſet, ſat dextro Numine, curas.
Tempore namq; illo, vicini nomine Regis XVIII.
Fœdera qui peteret, viſus Legatus adeſſe.
Nempe ubi Vandalidûm caſtra auxiliaribûs armîs
Audiit augeri Dagobert, qui ſceptra ferocis
Rex Alemaniæ non contemnenda gubernat,
Expavit; regnoq; timens, ſceptroq; , ſibiq;,
Præſtò Oratorem, peteret qui fœdera, miſit.
Ergo ubi Vandalica Legatus conſtitit arce, XIX.
Inceptas curas ſtudia in diverſa cògit
Ire, novoq; operi primas advertere mentes.
Quem ſimul ac vidit Lachus; proh! quantus ad ipsũ
Exarſit conſpectum hominis! Leo cominùs ægrum
Occurriſſe lupum ſic gaudet, & æſtuat irâ.
Talis inardeſcit dubiîs affectibûs atrox
Lechus, ad obtutum Legati! vertit in omnes
Se ſubitò facies; unoq; in tempore raptim
Et ſtupor, & rabies, & miſti felle dolores
Pectore ſuccreſcunt; ſubitîsq; furoribûs illi
Scintillare oculi, facies igneſcere, torvæ
Fronte coire minæ, mentisq; aperire latentis
Neſcio quos intus properos in funera motus.
Tantaq; nox animi eſt, ut legum oblitus, & impos
Ipſe suî, prêndat capulum, cædemq; minetùr
Dentibûs infrendens; cêu ſit ruiturus in hoſtem,
Legatumq; trucî ferrô obtruncare pararet.
Mirari primùm, mox interponere ſe ſe XX.
Atq; iſtìs Lechum Polia Avertere DICTIS:
Quò raperis? quò tanta intus te provocat ira
Leche ardens? crimennè paras, violenter iturus
In ſua Legati (ſcelus abſit) funera? nam cur,
Ut ſtetit hic, faciem mutas? illoq; tremente

Sævus inardeſcis? cauſas ignoro, ſed eſſe
Auguror hâud dubias: quæcunq; ſit illa (rogamus),
Cedat, & oblatæ ſit non inimica quieti;
Legatusq; ſuo tutum ſe nomine præſtet.
XXI. At niſi Legati (LECHUS EXCIPIT) iſte ſceleſtum
Pro clypeo tegeret, per mundi jura, character;
(Quod fieri nollem, factum quod abominor usq;)
Jam mihi nunc pœnas, ferus, exſecrabilis, effrons,
Iſte latro lueret; ſparſumq; in membra cadaver
Prædam avibus canibusq; darem: fallacia nôrint
Crimina ut ultricem Nemeſim, diſcantq; timere!
Scilicet hic ille eſt, prædonum gloria, Roſſus,
Libriæ Raptor! noſtra hic o viſcera quondam
Dimidiumq; animæ, Gnatam abſtulit! Hunc ego tandē
Aſſequor? & fruſtra oceanô terrâq; petitum
Jam teneo Vindex? cur non invado trementem?
Nec vivum diſcerpo, nec in ſua fruſta latronem
Dilacero? manus hæc, manus eſt mea debilis ergo?
Seſeq; ignorat? ſed protegit umbra latronem,
Legatiq; character iners! o jura Deosq;
O nimiùm placidas leges! ſi furibus iſte
Fert patrocinium titulus, quod crimen inultum
(Me miſerum!) non ibit abhinc? SIC INFIT: & enſē
Concutiens, frendet; vocemq; dolore reſorbet.
Nec minùs obtutu Roſſi Viſimirq; Libriaq;
Hæsêre attoniti: cunctos rapit igneus ardor
Mensq; memor facti, & vindictæ ſæva cupido.
Longè alius ſed Roſſo animus: trepidare videres
Pallidum, & irati Lechi non verba ferentem,
Oblitumq; ſui, ac amiſſo ſanguine ſtantem.
Fixa ſolô ſtupida ora tenet; cêu crimina ſecum
Vellet humô abſcondi, cuperetq; dehiſcere terram,

Non-

Nonniſi quà fugiat, vultumq; ac lumina vertens.

At, ne Legato fieret violentia, cavit XXII
Undalus; & Roſſum versùs: Te ſubtrahe noſtro
Vipera conſpectu (CLAMAT) mora dum tibi ſævas
Tantisper pœnas, liceat dum plectere, differt.
Nî fugias, & ſupplicio te latro reſerves,
Ante oculos mors eſt, & inevitabile funus.
Vos tamen o Roſſi Comites (TRES FORSITAN ILLI
ADFUERANT COMITES) veſtro mandata referte
Regi Alemaniæ, Dagoberto: Fœdera pacis
Quæ petit, accepto; ſed non prædone ſequeſtro.
Si ſibi ſi nobis aliquem Dagobertus honorem
Rex præſtat; Legatum alium, qui fœdera firmet,
Expediat: *Nullum bene latro munus obivit*.
Interea Roſſum, dum ſacrum fœdus initur,
Captivum teneat: meruit quas hiſtrio pœnas
Exſpectet vinctus; prima hæc ſit cautio pacis.
Parcitur ad tempus ſceleri, Roſſumq; nocentem
Reddimus incolumem; veſter ne fortè Dagobert
Prætextum belli capiat cauſasq; futuri.
Quas tamen hic prædo, Legati nomine tectus,
Evadit, ſubeat poſthac ex fœdere pœnas.

Undalus hæc. Roſſus vultum tellure moratum XXIII.
Tunc levat, atq; citus ſe ſe conſpectibus aufert,
Huc illuc volvens oculos; fugientis & inſtar
In Dagoberti aulam confuſo pectore fertur.

Hoc abeunte: iterum placido Rex Undalus ore
COMPELLAT LECHUM: De pectore mitte furorem
Mitis & eſſe velis Dux præſtantiſſime! pœnæ
Certa via inventa eſt, qua nunc immunis abiret,
Supplicium poſthac luiturus, victima, Roſſus.
Quis tamen hic hominum? qua ſuſtulit arte Libriam?

Quod

Quod genus, unde domô? nũ Slavꝰ an exterus ille eſt:
Ede, velis: illi quæ pœna paranda, ſciamus.
XXIV. Hûic contra Lechus, ſed ſuſpiratibûs hauſtis:
Magna (AIT) in Slavûm terra, Lechusq; Czechusq;
Reximus imperium Fratres: cùm vênit ab Iſthmo
Aût veniſſe hoſpes nobis eſt creditus iſte,
Quem modò vidiſtis trepidum ablatumq; timore.
Hic Grajo protunc ſe fingens ſanguine crêtum,
Atq; mihi ſupplex: O qui das Gentibus, INQUIT,
Jura Slavis, fer opem, nec Slavæ limina terræ
Leche nega! hoſpitii latebras, ſolamen inane
Exilii, poſco, patrio fugitivus ab Iſthmo.
Quidquid præſtiteris, Fratri præſtabis; ab uno
Sanguine Javani Patris qui ducimus ortum.
Hic quondam (ſat nota loquor) victricibûs Iſthmum
Navibûs edomuit; tota inſula paruit illi
Javanusq; omnî felix regnaverat Iſthmô:
Conjuge tum viduus, Grajo de ſanguine Thysben
Duxit, & ex illa genuit me conjuge Roſſum:
(Vos idem ex alia genuit) Poſt funera Patris
Succeſſi ſceptris: & de felicibus unus
Regnâram, ſi non Cives, mea ſceptra peroſi,
Tollere de medio Regem, capitiq; rebelles
Exitium noſtro (pudor eſt narrare!) pararent!
Vix rate ſubduxi caput hoc furialibus auſis,
Et regnô amiſsô tempus vagor exul ad iſtud
Suppetias quærens! has ſi mihi fata negabunt
Invida, vos ſaltem precor o Lechumq; Czechumq;
Hoſpitium miſero Fratri concedite Fratres,
Et mihi veſtra Domus fugienti præſtet Aſylum!
Talia dicenti, fraudes ratus affore nullas,
Credideram Lechus. Quis enim non crederet? ille
Cardi-

Reſtat, an occidimus? nec turpem evadere pœnam
Fata ſinunt? utinam cecidiſſem victima ferrô
Leche tuô, dum me conſpecto ſævus in iras
In cædemq; ires! lætus mea funera ferrem,
Nec mihi dedecori mors hoc Duce lata fuiſſet.
Egregia cecidiſſe manu, Fortuna vocatur.
Nunc mihi carnificis dextrâ ferrôq; cadendum eſt,
Ut, malè dum pereo, pereundi priver honore!
Nam quo me vultu, Dagoberti vindicis aula
Accipiet? cujus Majeſtas prodita, & omnis
In me læſus honos? ignominiamq; repulſæ
Imputat officio deprênſi crimine Roſſi?
An fidam Sociis? detecti criminis omnes
Quos potiùs teſtes mecum, quàm duco Patronos?
Hâud hominem invenio, partes ſi librer in omnes,
Cûi mea confidam diſcrimina: nam Lechus hoſtis
Jam præſtò eſt; Dagobertus erit; comitesq; ſiniſtros
Suſpicor, eripiant ne ſpem mortisq; fugæq;,
Quæ mihi ſola meos poſſet finire dolores!
Hêu miſerum, cûi nemo placet! cûi integer orbis
Inviſus circùm, circùm interdictus habetur!
Hæc ſecum ille diu, cêu de ſe jam foret actum,
Cogitat. At pridem nectendis fraudibus apta
Deſperare vetat mens, nunquam pigra nocendo.
Hanc ubi conſuluit: *Bene habet! deprêndimus*, inquit,
Saucia quo rurſus moveat Fortuna lacertos
Noſtra ſuos! ne me fugiat Dagobertus, & aſper
Oderit, ad ſolitas fugiendum eſt ocyter artes.
Sic ait: atq; anima graviori concitus audax
Hiſtrio, jam nullos curat librare timores,
Ire ſed in præceps, omniq; inſtare perîclo,
Et tuta odiſſe, et, miſerorum more, ſalutem
Per

Per ſas perq; nefas perq; obvia damna ſalutis
Quærere; formidans nihil, atq; in utrumq; paratus,
Vivere contingat sêu certa occumbere morte.
Nox erat, & tenebrîs latuit via circumfuſîs.
Exclamat Roſſus: *Cur o cur tendimus ultra*
Ignari comites? rapimurq; per invia cæci?
Nox vetat, & feſſis petitur ſopor artubus: alma
Cras ubi manè ſuos aurora reviſerit ortus,
Perficiemus iter; capiant modò membra quietem
Dixerat. At Comites, juſſis, quæ debita credunt,
Continuò parent; & equîs in plana remiſſis
Gramina, funeſtæ concedunt membra quieti.
At vigil in fraudem Roſſus, cognovit ùt omnes
Evictos ſomnô, ſtringit crudeliter enſem,
Tresq; unus ſævæ latro improbus immolat iræ.
Qui fuerant primi, caput hûic, caput amputat illi,
Et jacuêre duo truncum ſinè vertice corpus.
Tertius immanî trajectus pectora ferrô,
Dum ſupereſt morti ipſe ſuæ, ne prorſus inultus
Concidat, educto mucrone repercutit ictum,
Et faciem Roſſi gravè vulnerat: ultima vires
Sed quoniam fractas natura coëgerat; ima
Procubuit tellure, animamq; effudit in auras.
Vulnere fœdatus vultum, cêu bellua Roſſus
Exarſit; mediaq: tamen gaviſus in ira eſt,
Quòd Victor, quòd ſtigma quidem non nobile læſo
Ore gerat; ſævæ ſed quod tamen artis in uſum
Eſſe ſciat, ſceleri magna inſtrumenta futuro.
Namq;, ùt erat fœdo maculatus vulnere, tanquā XXVI.
Ex pugna profugus curſum violenter in arces
Præcipitat Dagoberte tuas. Ubi conſtitit: Hæc eſt
Hæc (AIT) o! bone Rex, veterum reverentia legum!
Lega-

Legatus, quem jura orbis nomenq; tueri
Debuerant, redeo violatus; & aſper ab omni,
Quam videas, ignominia! circumſpice teſtem
Dedecoris, vultum! manifeſtus in ore character
Iſte docet, quo Vandalidis habearis honore!
Ipſe licèt ſileam, vulnus tibi cuncta loquetur
Quod retuli, quo tu ipſe doles plus maxime Regum!
Scilicet infauſto pede vix bene limina preſſi
Vandala, amicitiæ paciſq; ſequeſter inanis,
Excipior riſu; ſpernit cuncta Undalus hoſtis,
Et bellum pro pace offert: tum crudus, onuſtum
Mille probrîs, mandat Legatum excedere regnô!
Excedo; ſolum referens poſt mille pudorem
Opprobria. Ah! utinam tantùm puduiſſe liceret,
Non etiamq; pati! ſed enim, ſi creditur actis,
Neſcit ſtare locô crimen: quovè incipit, odit
Momentum; niſi ſit longi ſibi temporis uſus!
Ecce ego diſcedens, fero dum, mea damna, pudorē
Majori occurro! geminis ex vallibus hoſtes
Improviſi adſunt, ſtrictoq; immaniter enſe
Undiq; me circumveniunt! o jura fidemq;
Vandalidis neglecta! miſer circumſonor armis
Legatus, poſcorq; neci! mea dextera fecit,
Vulnere ut accepto fugerem: ſed cæſa meorum
Corpora; tresq; mei comites dum fortiter enſe
Rem peragunt, cecidêre omnes! Nunc aſpice, quocū
Conveniſſe velis! an, cùm furit Undalus hoſtis,
Tu ſibi mitis adhuc? an, cùm vigil imminet ille,
Te dormire decet, nec tela retundere telis?
Fruſtra in amicitiæ ſocialia fœdera poſcis
Vandaliæ Regem: Leo non tractabilis, aſper,
Quem mulcere paras. Convellit jura; quid illi
Credis

Credis adhuc? bellat, fremit, & canit arma: nec audis?
Si ſapis; Ultoris vultum indue, coge manîplos,
Signa move, diſpone acies, nec turpiter hoſtem
Præſtolare domi; campum res poſcit apertum!
Non tulit ulterius proferri verba Dagobert; XXVII.
Verùm ardens Furiîs, ad Regia tecta Dynaſtas
Convocat, & preſſans terrā pede: Vivimus?(INQUIT)
An prior emoritur rabies, ſenſuq; caremus
O Proceres? quos ſi mea non injuria tangit,
Non reor eſſe meos! violati fœdera mundi
Ecquisnam patiens, ſit quàmvis usq; cadaver,
Aure oculôq; ferat? Dagobertus, gloria Regum,
Terrarumq; timor, non ſum nisì dedecus orbi
Factus, & exemplum rapti violenter honoris!
Ergo meus nondum didicit tot cladibûs hoſtis,
Ira quid Heroum, quid ſpreta, & Regia, poſſit?
Sed faciam, diſcat! poſt tam palmare nefandi
Criminis exemplum, licèt audeat omnia demens
Undalus, & ſocio pugnet Plutone Erebôq;,
Victori mihi cuncta luet; ſolasq; cadentis
Vandaliæ, ipſe cadens, lucrabitur indè ruinas.
Hæc ego polliceor! vires ultriciaq; arma
Sed datis o Proceres, mea gloria! Principis iſtud
Dedecus, eſſe omnes veſtrum qui (credo) putatis.
Auxiliare agmen non vos deterreat! uſu
Temporis, illa Lechi tam fortia pectora nuper,
Credite, langueſcunt; dum longa ignobilis otî
A carie ſenuêre, diuq; hæsêre ſub umbra.
Vos, qui Martem omnes in ſole & pulvere ſemper
Mecum agitis, nunquid non hoſti more Leonum
Ibitis adverſi? ferrum modò ſtringite; parvo
Tempore, quem facitis, peraget timor advena bellum.

Undalus audierat: ſubitòq; valentior hoſti
Obvius ire parat, Martemq; opponere Marti.
Conveniunt juſſi, Ducis ad vexilla, manîpli
Vandalidûm; Regi Gens fida, & proxima magno
Nomine, contemptrix necis, atq; in utrumq; parata,
Vincere contingat sêu certa occumbere morte.
Nec vos indigenæ ceſsâſtis mittere Gentes
Auxiliare agmen: Carpi de montibus illinc
Carpatiis, curſuq; pedum volucriq; ſagitta
Turmâ valens. Plano procul hinc Gens dedita campo
Baſtarnæ veniunt: Venedos Venedicus indè
Submiſit ſinus, & Marti ſuccurrere juſſit
Vandalico. Memorem quid nomina plura, vel ipſo
Pænè timenda ſono: variîs regionibûs acti
Concordes veniunt ad claſſica nota, Gitones,
Pêucini, Sciri, Burguntæ, Sidones, Hyri,
Viſigothiq;: & quos labor eſt numerare, frequentem
Compoſuêre aciem, belli qua nimbus in unum
Vandalico poſſet coaleſcere nomine corpus.
Nominibûs ſic ſæpè ſuîs diverſa coire
Flumina conſuêrunt, ſociales ebibat amnes
Ut fluvius major, quasvè amne acceperit undas
In mare præcipitet communi nomine & alvêo.
Milite ſic variîs lecto regionibus, unus
Vandalidûm viſus creviſſe exercitus ingens.

Major at externo crevit fiducia cunctis XXX.
Milite: quos, Slavûm poſito cognomine nuper,
De Lacho Polachos ſocialibus addidit armis
Ferri amor & Martis. Cataphracta viriliter ignem
Ore acies ſpirat, frameîs ſuccincta recurvîs,
Atq; haſtîs armata manum: fulgentibûs omnes
Criſtati galeîs, omnes thoraca ferentes,

Et clypeos, & quas nullus penetraverit ictus,
Heroum tegmen, loricas ære rigentes.
Fortior aſt armìs anima eſt; cêu ſpiritus ipſe
Ære foret fuſus, rigidos tam ferre labores
Quàm ſuperare capax: ut nullus ab Hectore, nullus
A Grajûm muro, ſibi degenerârit Achille.
Dux erat his Lachus; qui quantum robore, quantum
Majeſtate oris, tantum ſupereminet omnes
Aureus hinc ſumptîs, illinc argenteus armîs.
Ipſe nitor galeæ, clypeiq; adamantina cuſpis,
Et textum, quo mille ſedent cælata Nepotum
Ora, diem ſpargunt; quò ſit manifeſtior hoſti
Clara Ducis virtus, Lachiq; illuminet iram.
Æmulus hûic, Patrisq; animatus in horrida bella
Pectore, belligerantem animam Danaq; revinctas
Lauru acies jungit Viſimirus; imagine Patris
Plenus & exultans: tanquam Lachus alter in illo
Multiplicanda hoſti perituro funera ferret.

At non illa Viros tantummodò gloria belli
Solicitat: venit ecce venit Fratrisq; Patrisq;
Æmula, Amazonidum Cervix quæ prima Libria eſt;
Partiri jam docta metus, & militis inſtar
Quærere magnanimo famam de vulnere: ducit
Altior ipſa tuens rigidarum examina Matrum:
Quæ modò femineas, ſpreti per damna nitoris,
Dedignatæ animas, humeris ſuſpendere gaudent
Ingentes pharetras & avaros ſanguinis arcus,
More virûm, atq; latus flexîs defendere peltîs.
Si numerum quæras! acies generoſa recenſet
Mille ter uſq; animas: ſed quælibet agminis inſtar
Eſt manus; ipſe ſuam qua Scævola fortè minorem
Jurâſſet, cuperetq; ſuo de nomine dici.

Nec

Nec Dagoberte tuus minor eſt ad bella paratus. XXXI.
Imperiô acciti, quos tanti plurima Martis
Gloria, & audendi fervor non ultimus urit,
Magnæ Alemaniæ veniunt de finibus omnes
Indigenæ: patrio quos longa Moravia tractu
Educat, & quos indè Danubius alluit, illinc
Rhenus, agunt cuneos, Dagoberticâ caſtra ſecuti.
Tot populi coiêre, uno quos robore, & uno
Nomine Alemmanos Rex imperioſus agebat
Vandaliæ in cladem, Roſſiq; adjunxerat armis.
Jamq; adeò inſtructis ingens exercitus alis,
More triumphantis, contra, quem non videt, hoſtem,
Affore quemvè tamen rumor vulgaverat, ibat.
Agmine Rex medio Dagobertus: utrumq; tuentur
Cornu, habiles bello duo de Ductoribus; alæ
Præficitur Drances dextræ, Juvenisq; ſiniſtræ
Germus: at hic quoniam Regis ſpes maxima, Gnatus,
Et Juvenis; Tutorem adhibet laterisq; Patronum,
Cujus ope incolumis pugnet ſinè vulnere, Roſſum.
Præcipitant, ubi fama hoſtem ſub ſigna coâctis
Ordinibûs jam ſtare canit. Spes præit; & alba
Omnia (ceu tumidis ſolet objectare) colorat,
Victu hoſtem facilem, prædas, celeresq; triumphos!
Jamq; adeò Almanum properare in prælia Martem XXXII.
Vandalidæ audierant, Polachiq;, & Lachus, & unà
Undalus. Effundunt tunc de ſtatione gregatim
Militiam, pugnandi, avidam, cupidamq; futuri,
Quod daret aut caperet longâ durabile famâ,
Vulneris. Hoſpitii tamen officioſus honorem,
Ne ferat ipſe, Lacho defert Rex Undalus; illi
Supplicat: *Imperitet; nêu dedignetur & eſſe*
Cervix prima Ducum, mediusq; pericula contra

Pugnet, & armorum primas moderetur habenas.
Nam cûi præſtaret ſummam committere belli
Quàm Lacho? quàm cûi Dagobertum vincere quondã
Ludus & uſus erat? modò primus in agmine vultum
Promeret, obtutu victos proſterneret hoſtes.
Suſcipit officium Lachus; Polachîſq; ſuorum
Agminibûs ſeptus, medii diſcrimina belli
Occupat exultanti acie; quàm pulcher in armis
Mirandusq; hoſti, tam formidabilis iîsdem.
Hêu miſeri, quos ille haſtâ, quos læſerit enſe!
Jam periit, Lachi quemcunq; invenerit ira!
At Viſimir dextrum cornu occupat, agmina latè
Slavica diſponens Danicîs onerata triumphîs,
Quêis modò de Patris cognomine, nomina Lachûm
Feçerat, & Polachos Heroum ſcripſit in Albo.
Fratris in auxilium Libria Heroidas arte
Ducit Amazoniâ, & campo ſe ſiſtit eodem,
Indiviſa comes, vinci sêu vincere detur.
At numeroſa latus capit extenditq; ſiniſtrum
Vandalidarum acies: Dux agminis Undalus, armîs
Aureus & phalerîs, trabeâq; inſignis & oſtrô,
Notior & reliquîs: cêu impendentia ſummis
Fata, parùm cautus cuperet docuiſſe: *Quis eſſet!*
XXXIII. Compoſitas hoc nervo acies, hoſtilia contra
Arma, movet Lachus: motîsq;, ubi venerat hoſti
Ad teli jactum, converſus ad agmina retro,
Talibûs auditus turmas ACCENDERE DICTIS:
O quibus in venas, Aquilarum ſanguine nuper
Amplior audendi fluxit calor, ite recepti
Stemmatis Hæredes! oſtendite, fulminis igne
Vos genitas geſtare animas! cêu omnia ſternit
Fulmen, & ad cinerem citò concremat; ignis ad inſtar
Vincite,

Vincite, quidquid obeſt! & euntem more ruinæ
Corripite aſtutum, dum tempus poſtulat, hoſtem!
Tam mihi quàm vobis non copia venerit unquam
Pulchrior audendi; dum tota Alemanicus hoſtis
Mole redit, rurſum bellô ſternendus, ùt ante.
Hujus in occurſum procedite! viderit hoſtis,
Diſcat & iſta dies, quàm non indormiat unquam
Haſta Slavûm; quos nunc ſpecioſos pulvere belli
Deſuper intueor, ſemperq; in Martis arena
Nobilium irarum monimenta relinquere doctos.
Ibitis in nuper victos, qui clade recepta
Nunc licèt extulerint caput; at de corpore nulla
Arte cicatrices, deformia ſtigmata, tergent.
Itis? an ambigui (quâ luditur) area belli
Solicitos retinet? victorem oſtendite vultum
Jam toties victis, peraget præſentia bellum.

Hæc ait: & lituis, dare ſigna, ciereq; Martem, XXXIV.
Imperat. Audito trucis invitamine pugnæ
Exarsêre omnes; raptim còëuntibûs itur
Agminibûs, Signisq; inſtant contraria Signa.
Nec mora: Concurrunt acies, per & àëra ſævus
Exoritur clamor: densô cadit undiq; nimbô
Umbra ſagittarum, cêu Xerxes pugnet in illa.
Hinc jacula, & tortîs fundæ amentantur habenîs,
Jllinc falcatîs non ſtrages curribûs una
Mille ſed exitiîs mala præcipitata vehuntur.
Quotvè ſagittiferîs volat imber & ærea grando
Tot nimbîs credas volitare per àëra mortes.
Cominùs ùt ventum eſt, tum verò immanior ignis
Atq; necis malè ſana ſitis committit utrasq;
Hinc atq; indè acies! cunctos oblivio vitæ
Intrat prima ſuæ; miſſa poſt terga ſalute

Quò magis intendant alieno incumbere letho.
Incumbunt! manibusq; manus, atq; enſibus enſes.
Cumq; neces odiis, cumq; armis funera miſcent.
Ille modò alterius cupit affectatq; cruorem
Et neſcit manare ſuum: cadit ille, furentûm
Preſſus equîs, *Perimantq;*, petit; cêu plurima cœptæ,
Ultima ſint quàmvis, fierent *Solatia mortis*,
Sponte citòq; mori! Bellum rapit acre vel ipſos.
Cornipedes: hinnitu acuunt in prælia mentes,
Exemplôq; Virûm nunc fortiter obvia ſævîs
Pectora pectoribûs, nunc calcibûs àëra pulſant.
Funduntur modò ſtrage alii, ſeſſoribûs ante
Excuſsis! illi, tanquam defendere vellent,
Cæſorum ſuper ora Virûm volvuntur iniquo
Pondere; & à Dominis, modò quos geſsêre, feruntur!
Qualis in oceano, ventorum mota tumultu
Sævit hyems; pugnant ſinè lege modoq; procellæ,
Irataeq; ſuis certant cum fluctibus undæ:
Aût ubi terribili concurrunt nubila flictu,
Parte ab utraq; minax contraria projicit horror
Fulmina; refractæ ſcinduntur in àëre nubes,
Ut victrix & victa ſimul ſua prælia ploret,
Poſt faciem fuſo ſibi Præfica flebilis imbre.
Talis erat, modò ſtrage virûm, modò triſtibûs horrens
Tempeſtas armîs; uno dum Lechica viſa eſt
Hinc acies, Alemana illinc concurrere campo.

XXXV. At, veluti violens cùm triſtibus Æolus agris
Incubuit, priùs ille cedros quàm ſternat & ornos,
Mollibus iraſci didicit; lacteſcere ſi quis
Viſus amor Floræq; oculus, sêu alba liguſtra
Sêu violas dederis, rapit omnia, proterit, haurit,
Peſtis ad illecebras ad deliciasq; furoris:

Irati

Irati rabies Martis ſic ferre ruinam
Viſa, ubi Flos Juvenum fulgentibûs aureus armîs
Mutua fatali coit in diſcrimina ferrô.

Germus erat, Dagoberte tui tam maxima ſceptri,
Quàm fuerat Troilus Priamo ſpes plurima Patri,
Non diſpar annìs, fatisq; ſimillimus illi.
Hic ubi ſanguineæ ſucceſſu cædis ovantem
Viſmirum vidit: *Non eſt cur cæde minoris*
Turbæ (ait) *exultes o Semivir! ulla valentis*
Ad famam fati ſi te ſæviſſime tangit
Gloria, quære parem! nec abeſt: quem conſpicis, adſum
Ultor! ab hac dextra diſces timidiſſime, quantum
Milite Dux præſtet! Sic infit: & hoſtis in imum
Impellit pectus validìs conatibûs haſtam.
Excipit hic ictum clypeô, rigidiq; metalli
Tanta erat, ut poſſet contum diffringere, virtus.
Fortunam clypei, frameæ virtute ſecutus
Viſimir, impulſu ſubeuntem cominùs hoſtem
Aggreditur, Germoq; caput violentior aufert.
Deſilit, & terram moriens rabido ore momordit
Cervix! cujus adhuc equitantem tempore parvo
Miratus truncum, *Nunc te nunc*, Viſimir inquit,
Eſſe parem nobis, dum ſis minor improbe, jacta!
Non verba efficiunt, ſed fortia pectora, magnos.
Quòd tamen à noſtra cadis o temerarie dextra,
Hâud necis invideo titulum: refer! unde ſub Umbras
Ambitioſus eas! magnæ jactabis honorem
Mortis apud Manes, pœnamq; Authore levabis.
Hæc ait: utq; Leo de cæde ferocior, unum
(Sit licèt hoc ingens) nihili facit edere funus,
Nî ruat, inq; gregem ſua vulnera dividat omnem:
Sic profligato Duce Viſimir, ire cruentus

Gaudet, & hoſtili veſtire cadavere campos.
XXXVI. Adjuvat hunc, virtute Viris non cedere docta
Libria, Amazonidum Ductrix: quàq; obvia cædis
Copia, quà famæ datur area prima parandæ,
Martem agit, exemplôq; Sororibus anteit acrî.
Inter mille tamen cæſorum funera, factum
Nîl putat, excidio niſi victima Roſſus eidem
Detur: huic odium nullâ placabile pœnâ
Servat; in hoc uno Victricem ſcribere ſe ſe
Quærit Amazo audax, terroresq; inter & arma
Nîl metuens, timet hoc bellatrix femina ſolum,
Ne non præda ſuâ cadat optatiſſima dextrâ,
Ne fugiat Roſſus, cædisq; pericula vitet.
Quodq; veretur, erat. Nam Roſſus funere Germî
Territus, effugiô vitam ſervare, Slavasq;
Declinare manus, acie nutante, parabat.
Prælia vitantem tum ſic dictisq; graduq;
Libria conſequitur: *Non te timidiſſime furum*
Vertere terga pudet? perſta! ſi præda latronis
Sum tua! num ignoras, ſpolium quàm grande relinquis?
Si fugis, ut dextra nunc te cecidiſſe virili
Indignum reputes; fugiendi ſubtrabo cauſam,
Femineo mihi Marte cades. Convertitur ille
Virginis ad vocem; ſenſimq; timoris & iræ
Oblitus, gaudet viſâ ſubſiſtere prædâ,
Atq; oculîs libare brevem, quem cernit, amorem.
Usq; adeò violens amor omnia vincit, ut ipſos
Vincat & affectus! profugus paulò ante, timore
Atq; irâ poſitîs, unius latro Puellæ
Hæret in obtutu! dubius, per tela per ignes
Utrùm eat, & rurſus rapiat, ſua vota, Libriam!
Hæcq; ſtupens ſecum: *Quid tam mirabile cerno?*
Hos

Hos animos Mulier? pugnet! mea præda capillis
Obtinget prênsis! lætor, quòd non ſit ùt ante
Jam quærenda domi! captivam prælia reddent.
Hæc ſecum volvens, rupes cêu ſaxea, ſtabat.
At non ſtare diu licuit, quin tempore metam
Offerret Nemeſi, feriendum pectus, eodem.
Scilicet obverſum ſimul ac deprênderat hoſtem
Libria; continuò legit de mille ſagittis
Unam, nulla magìs quâ certior audiat arcum,
Nec ſit acuta magìs, nec perdere doctior ulla.
Jamq; armata manum, facturaq; vulnus Amazo.
Ne tibi ſit mirum, ſi, ſicut oporteat, inquit,
Armo manum: telìs tecum certatur amoris,
Si tua Roſſe habeor, ſi non indigna repulſâ,
Hæc mea, quæ mitto, fac, pectore dona reconde!
Dixerat: atq; audax, et, plusquam femina, Virgo,
Non evitandum jaculatur vulnus, in ipſo
Pectore figendum Roſſi. Volat acris arundo,
Atq; animam medio vitamq; in corde latentem
Exturbat: nec corde hæſit, ſed morte relicta,
Terga per (hâud unum vulnus factura) cucurrit.
Labitur in præceps Roſſus: moribundus adoret
Libriam, dubites; veniamnè precetur, an ima
Merſus humo & pariter ſcelerato ſanguine, quærat
Quàm primùm in Stygia latebra occultare pudorem.
Morte Ducum jam factus iners in prælia miles
Exauctorato languebat robore; ſicut
Ægra labare ſolent amiſſo ſanguine membra:
Et niſi ſtare aciem reliquam, belloq; vacare
Cerneret, hâud illi feciſſet tempora pugnæ,
Præcipiti quin terga daret terrore: Sodales
Sed didicit poſtquam campô perſtare, reſiſtit,
Suſpen-

Gaudet, & hoſtili veſtire cadavere campos.
XXXVI. Adjuvat hunc, virtute Viris non cedere docta
Libria, Amazonidum Ductrix: quàq; obvia cædis
Copia, quà famæ datur area prima parandæ,
Martem agit, exemplôq; Sororibus anteit acri.
Inter mille tamen cæſorum funera, factum
Nîl putat, excidio nisi victima Roſſus eidem
Detur: huic odium nullà placabile pœnâ
Servat; in hoc uno Victricem ſcribere ſe ſe
Quærit Amazo audax, terroresq; inter & arma
Nîl metuens, timet hoc bellatrix femina ſolum,
Ne non præda ſuâ cadat optatiſſima dextrâ,
Ne fugiat Roſſus, cædisq; pericula vitet.
Quodq; veretur, erat. Nam Roſſus funere Germî
Territus, effugiô vitam ſervare, Slavasq;
Declinare manus, acie nutante, parabat.
Prælia vitantem tum ſic dictisq; graduq;
Libria conſequitur: *Non te timidiſſime furum*
Vertere terga pudet? perſta! ſi præda latronis
Sum tua! num ignoras, ſpolium quàm grande relinquis?
Si fugis, ut dextra nunc te cecidiſſe virili
Indignum reputes; fugiendi ſubtrabo cauſam,
Femineo mihi Marte cades. Convertitur ille
Virginis ad vocem; ſenſimq; timoris & iræ
Oblitus, gaudet visâ ſubſiſtere prædâ,
Atq; oculîs libare brevem, quem cernit, amorem.
Usq; adeò violens amor omnia vincit, ut ipſos
Vincat & affectus! profugus paulò ante, timore
Atq; irâ poſitîs, unius latro Puellæ
Hæret in obtutu! dubius, per tela per ignes
Utrùm eat, & rurſus rapiat, ſua vota, Libriam!
Hæcq; ſtupens ſecum: *Quid tam mirabile cerno?*
Hos

Hos animos Mulier? pugnet! mea præda capillis
Obtinget prênſis! lætor, quòd non ſit ùt ante
Jam quærenda domi! captivam prælia reddent.
Hæc ſecum volvens, rupes cêu ſaxea, ſtabat.
At non ſtare diu licuit, quin tempore metam
Offerret Nemeſi, feriendum pectus, eodem.
Scilicet obverſum ſimul ac deprênderat hoſtem
Libria; continuò legit de mille ſagittis
Unam, nulla magìs quâ certior audiat arcum,
Nec ſit acuta magìs, nec perdere doctior ulla.
Jamq; armata manum, facturaq; vulnus Amazo:
Ne tibi ſit mirum, ſi, ſicut oporteat, inquit,
Armo manum: telis tecum certatur amoris,
Si tua Roſſe habeor, ſi non indigna repulſâ,
Hæc mea, quæ mitto, fac, pectore dona reconde!
Dixerat: atq; audax, et, plusquam femina, Virgo,
Non evitandum jaculatur vulnus, in ipſo
Pectore figendum Roſſi. Volat acris arundo,
Atq; animam medio vitamq; in corde latentem
Exturbat: nec corde hæſit, ſed morte relicta,
Terga per (hâud unum vulnus factura) cucurrit.
Labitur in præceps Roſſus: moribundus adoret
Libriam, dubites; veniamnè precetur, an ima
Merſus humo & pariter ſcelerato ſanguine, quærat
Quàm primùm in Stygia latebra occultare pudorem.
Morte Ducum jam factus iners in prælia miles
Exauctorato languebat robore; ſicut
Ægra labare ſolent amiſſo ſanguine membra:
Et nisì ſtare aciem reliquam, belloq; vacare
Cerneret, hâud illi feciſſet tempora pugnæ,
Præcipiti quin terga daret terrore: Sodales
Sed didicit poſtquam campô perſtare, reſiſtit,
Suſpen-

Suſpenditq; fugam, ac fortis virtute coacta
Perſtat, & adverſos utcunq; repercutit ictus.
XXXVII Non alia & lateri pugnæ Fortuna ſiniſtro.
Hinc Alemanam aciem pavor occupat, indè feroces
Vandalidæ exultant: affectus præſtat utroſq;
Et variat Fortuna Ducum: nempe. Undalus iſthinc
Victori incedit ſimilis; jacet obrutus illinc
Almanæ Ductor Drances fortiſſimus alæ:
Namq; hunc ex notis inſignibus, Undalus acer
Eſſe Ducem præbentem animos ùt fortè putavit;
Si cadat, immenſæ laudis putat affore ſummam:
Aggrediensq; hoſtem: *Noſtrasnè evadere*, clamat,
Speràſti Drances, animato milite, dextras?
Cerne, velim; num te virtus accenſa tuorum
Hûic manui eripiat. Dixit: quantaq; valet vi
Haſtile adverſi Drancis demittit in ora.
Procubuit Drances; nec opem inclamare ſuorum
Suffecit moriens. At eodem vulnere ſe ſe
Almanus miles ſterni ratus, arma repentè
Atq; animos, anceps acie nutante, remittit.
Jamq; adeò præeunte metu, ruptîsq; gregatim
Ordinibûs, cita terga daret; niſì fama *Ferendi*
Auxilii, celeri Regem rumore moneret.
XXXVIII Corpore Rex belli medio Dagobertus avebat
Horrida ſanguineâ committere prælia dextrâ.
Hic ubi palantem ſublato Drance phalangem
Audiit admonitu; citus advolat, inq; paventes
Lumina convertens: *Ductorem poſcitis? adſum,*
Adſum (ait) *ignavi! retro quid vertitis ora?*
Si nimis offendit, Drancis modò cæde ſuperbus
Undalus; ille idem me Vindice, criminis hujus
Lætitiæq; brevis pœnas dabit: ibo! nocentem
Exitio

Qua dextra occiderint? rogat: & moriturus in hoſtes
Irruit. Ut ſors quemq; dabat, ratus eſſe peractæ
Authorem cædis, ſternit, ſævitq;, furitq;;
Nec, nisì ſi cunctos perimat, ſe poſſe piare
Emeritas Umbras alieno funere, credit.
XXXIX. Nec minor à Lacho ſtrages venit: ille lacerto
Se licèt in quovis gaudet pugnare ſuorum;
Inter multa tamen ſic millia pugnat, ut omnes
Æquet; agatq; unus, quod agunt tot pectora, bellum;
Unde videretur tot mortes inter & arma
Plusquam mortalis quovis in pulvere Lachus!
Et jam cæde ſatur, poſt tot data corpora Letho,
Pænè adventantem lætus ſpectare triumphum
Viſus erat; nec, quæ veniant, metuenda timere.
Ex intervallo cùm triſtis nuntius aures
Verberat: *Immani trajectum vulnere Regem*
Undalum, & extremâ vix jam ſpirare ruinâ!
Infremit; et, quò fama, dolor, furor, iraq; monſtrat,
Præcipitat Lachus. Vênit! manibûsq; ſuorum
Hærentemq;; ægræq; animæ fragmenta trahentem
Deprêndens Juvenem: *Quò te tuus impetus egit*
O Juvenis! (clamat) *querimur ſemperq; queremur*
Te nimium fortem! virtus non temporis hujus,
Ut caderes, fuerat! privata publica famæ
Commoda ſi præſtant, famæ præponere vitam
Debueras o Rex! & jam ſpes Vandala tecum
Triſtè cadit, ſequiturq; Ducis miſeranda ruinam!
Sic ait: & Regis moribundi illacrymat auſis,
Vandaliam, clamans, *caſuram in funere tanto!*
Cujus ùt agnovit vocem Undalus, ultima cogens
Tunc in verba animam: *Ne me cadat*(inquit)*adempto*
Patria deficiens, miſeram ſervare memento
O Lacbe

Congredere: & praſtò, nî femina diceris, adſis!
His ignominiæ ſtimulis accenſus & irâ
Evolat in medium Dagobert; vultuq; minaci
Aſpectans Lechum: Coràm, quem perdite quæris,
Adſum (AIT) advenio! ſolumq;, quòd ante vocâſti,
Invideo! prior ipſe tamen ſternare, neceſſe eſt,
Qui pugnam prior ipſe rogas. Si quæris adempti
Regis amore necem! dabimus: mactabere latro;
Vandalico Regi comitem te protinus addam, ut
Una ſuprema dies ambos conjungat amicos.
Vos precor, o acies, utrinq; abſiſtite ferro!
Nos duo pugnemus: qui vicerit, omnia vincat;
Noſtrûmq; unius nece ſtet victoria, quanta eſt!
Vix ea finierat, cùm mox ab utrinq; diremptæ
Diſceſsêre acies; ſpatiôq; ad prælia factô,
Circùm ambos vacuam trepidi fecêre coronam.
XLI. Nunc, age, dic Erato, memorabilis ede duelli
Manſurum nomen: Lachus quibûs obſtitit hoſti
Viribûs, ac tandem qua vi dejecit eundem:
Hujus ab eventu pugnæ, victa agmina diſcent,
Quantum cladis habet modò momentanea clades.
Jlli equidem ſpatiîs æqualibûs, inſtar euntis
Turbinis, excuſsîs concurrunt eminus haſtis,
Sorte tamen teli ſibi diſpare: nam Dagoberti
Abſtulit haſtam error; pectusq; celerrima Lechi
Dum petit, ut feriat, pectus percuſſit equinum:
Excutit hanc ſaltu quadrupes, ſed vulnere factus
Debilior, Domino ſuerat jam pænè rebellis.
Arſit ad hæc Lechus; facinusq; ex arte peractum
Eſſe ratus, jaculum ingenio contorquet eodem
In caput alipedis. Quanto fuit arjete dextræ
Miſſa, volat, frontemq; ferox diverberat haſta
Qua-

Quadrupedis Dagoberte tui. Ruit ocyter actus
In terram quadrupes: & eodem tempore præceps
Deturbatur equô Dagobertus; at enſe ruinam
Dum levat aſſurgens, à pondere fregerat enſem:
Fragminibûs gladii viſîs expalluit; illo
Tempore quidvè foret, paulùm dubitavit, agendum!
Tum fugit infrendens, haſtamq; inclamat & enſem,
Oblatô cupidus telô inſtaurare duellum.
Quò fugis? exclamat Lechus: *mora parva ſalutis*
Reſtat, & eripient nullæ te perfide fraudes!
Te licèt in medias acies projeceris, ibo;
Teq; manus inter vindex mactabo tuorum:
Heroum quò ſacra fides? quò, lege duelli
Pactus honos? pudeat, nunc o tam magna locutum
Terga dare! Iſte vocat, fugit ille: ac impete factó
Alter in alterius prope tergore pendet; uterq;
Curſu diſſimiles, hic equô celer, ille timore.
Exclamant Alemani illinc, hinc Slava Juventus,
Diverſoq; favore urgent vocemq; viamq;;
Hi, *Fuge quà potis es! Sequere*, illi, *dum potes*, inſtant.
Obvius interea Dagoberto porrigit enſem
Armiger. Ergo datîs Dagobert animoſior armîs
Reſtitit; inq; hoſtem converſus: At improbe (CLAMAT)
Parce ſequi; redeo! virtus non me tua terret,
Non es, quem metuam, Nebulo! mea tela timentem
Me faciunt, &, qui Dominum deceperat, enſis.
Sit, precor, hic noſtris, fietq; fidelior auſis
Mucro; lavetq; tuo maculam mihi ſanguine primam.
Retro redi! ſi qua eſt virtus tamen; ire pedeſter
Ad pugnam mortemq; velis: deſcende, priusquam
Iſte cadat tecum ſonipes; ne fortè putère,
Dum cadis à noſtra, propriâ cecidiſſe ruinâ

Hæc

Hæc ait: atq; minax elatum concutit enſem.
Frendit ad hæc Lechus; vultuq; timendus & enſe
Emicat in terram, quaſsans caput, Atq; ita FATUR:
Qualicunq; acie, ſi neſcis improbe, fixum
Eſt mihi ſemimarem Dagobertum ſternere; quodq;
Decrevi, poſſum: confer timidiſſime dextram,
Artem, animos, ferrum! Non te (prôut reris) inermē
Conſequor, ut feriam! licèt hoc homicida mereris,
Dixiſti legem ipſe tibi, dum Regis inermis
Cæde cruentares ferrum! jam criminis hujus
Mucro tuus pœnas fractus dedit: exitus idem
Te manet, ut medium mihi nunc mutilêre cadaver:
Congredere. His dictis, rabidorum more leonum
Ambo proſiliunt. Concurritur! icta dedêre
Arma ſonum, & ſubitæ ſcintillavêre favillæ
Attritu ferri! miſcent tum vulnera multô
Plagarum numerô, qualem ſapientia ferri
Dividit huc illuc, artemq; in vulnere quærit.
Colliſæ non tot tonitrusq; & fulgura reddunt,
Dum ſcindunt pariter, ſcinduntur & àére, nubes;
Quot mucrone ictus cæſim punctimq; rotato
Hinc Lechus, hinc Dagobert, certamine Martis anheli,
Reddiderant dederantq; pares; cum verbera verbis
Plurima miſcentes. Tandem conſurgit in enſem
Impatiens Dagobert, ſolitôq; valentiùs hoſtem
Vibrat in adverſum. Clypeô Lechus excipit ictum,
Quem tua non Hector, nec Achillis parma tuliſſet,
Utraq; opus quàmvis pænè immortale feratur:
Integer hunc tulerat, præſagus munere Divûm,
Umbo Lechi! exarsêre tamen, quot in ære Nepotes
Cælati, ſubitas oculîs ſparsêre favillas;
Iraſci credas, ſentireq; vulnera Reges,

Et

Et Lechi offenſam defendere velle Parentis.
Ne faciant, facit ipſe Lechus: qui tempore eodem
Hortatusq; manum, Divîsq; in vota vocatîs,
Altior aſſurgens, multòq; valentior, enſem
In caput illidit Dagoberti! fiſſa repentè
Diſſilit ùt glacies galea; admittitq; mucronem,
Qui non hæſit iners, uno verùm impete præceps
Per caput & faciem, quà naris & ora recedunt,
Deſcendens medius, pectus quoq; dividit ipſum!
Procubuit frigens Dagobertus machina: at illi
Et caput & facies humero ex utroq; pependit!
Regis ut illa foret pro majeſtate cicatrix
Magnæ animæ facturâ viam! viciſſe minori
Nec Lechum decuit, nec te Dagoberte periſſe.
Ut verò ingenti Dagobertum funere ſtratum XLII.
Conſpexêre acies, clamorem ad ſidera tollunt,
Plauſu iſtos, lacrymoso illos animante dolore!
Seq; ruunt contra: lacerum ſubducere corpus
Almani certant, prohibent auferre Polachi.
Pugna atrox oritur, cæduntq; caduntq; viciſſim
Non tamen ultra horam. Ducibûs viduata peremptîs
Atq; animîs Alemana acies, dat terga: ſimulq;
Dum premit & premitur, ſe ſeq; urgendo retardat
Interit ipſa ſuîs, caſus prôut obtulit, armîs.
Semineces, vivos, ſparſimq; ac ordine nullo
Sanguineum per iter ſupraq; cadavera ferri
Cernere erat: rapidîs ſe ſaltibûs eripere hoſti
Vidiſſes alios; alios poſt terga trahentes
Partem animamq; ſuî, quantum reptare licebat
Oraq; ferre retro! projectîs turpiter haſtîs
Ire catervatim reliquos à parte videres!

Nulla fugæ requies, donec victricibus armis
Ulterius ſævire odiô nox alta vetaret.
Fugêre exutæ caſtris per opaca cohortes,
Eſſe ratæ ſortem, miſeranda cadavera Regis
Atq; tuliſſe Ducum, patriô tumulanda ſepulchrô.
At tibi Lache, Ducum fortiſſime, maxime Regum,
Fama relicta manet; magnumq; in nomen itura
Marmore ſcribetur, ſcribetur & ære perenni.
Tu Victor, lauru ſtabiliq; notabere cedrô,
Pyramides Arcusq; tibi, ſacra ſigna Trophæi,
Aſſurgent! vives, dum ſæcla perennia vivent,
Atq; triumphali Lachuſq; legêre Coloſſô
Duxq; Ducum, & magni quã maxima gloria Martis.

ARGU-

ARGUMENTUM
Libri IIImi.

I. AD *nuntium victoriæ, per Lachum partæ, plebs de vicis & urbibus Vandalicis læta excurrit in campos.* II. *Polia pariter læta excurrit in campum victoriæ. Sed Filii Undali cæde cognita, primò languet, tum in lamenta erumpit.* III. *Illam ſolatur Lachus.* IV. *Nil proficiente Lacho, Viſimir ſolatia adhibet; & mentione facta de Vinide ſuperſtite, nonnihil Poliæ mœrorem levat.* V. *Lachi mandatô, juſta perſolvuntur cæſorum Manibus; & tumulantur cadavera.* VI. *Undali occiſi corpus ſecernitur, ſingulari pompa tumulandum in templo Martis, ad fluvium Vandalum ſito, ubi Vandaliæ Regum Mauſolea. Fit apparatus deducendo funeri. Pompæ funebris ordo deſcribitur.* (De Marſanæ ſeu Martis Delubro in Vandalia Iſtulea Crom: p. 32.) VII. *Funebrem pompam Polia mœrens ſequitur. Cupit pro ſolatio audire aliquid de Vinide Filia, quam eſſe ſuperſtitem, Viſimir modò innuerat.* VIII. *Viſimirus, mœroris & itineris levandi gratiâ, narrat de ſuo olim in portum Heneticum appulſu. De Antiſtite loci Vinide, & armis ab ea collatis. De ejuſdem Vi-*

ſpem modò Lachus fecerat. XII. *Lachus exultans, bene ſperare Poliam jubet: ſed narrationem de Vandilla ſuperſtite differt; veniente jam in conſpectum templo & loco tumulandi Undali.* XIII. *Templum Martis, templiq; decora deſcribuntur. Juſta perſolvuntur Undalo, & ſolennitate funebri tumulatur cadaver in ſepulchro Principum Vandaliæ. Poliæ dolor, & lamenta ultima ſuper ultimo Nepote Regum Vandaliæ.* XIV. *Poſtridie Lachus, versùs coloſſum Jovis non longè diſtantem, progreditur cum comitibus. Obſervat à latere, mirabilem fontem, aquas è rupis vertice, inſtar fluvii violentas, & ſuper aëra arcuatim pendentes, ejaculantem.* XV. *Fonti ejusmodi, Lachus cum Polachis, Slavicè & ex re appellationem* Wisla, *quaſi à pendendo, imponit. Poliâ ſubſcribit Slavicæ appellationi fluvii, qui hactenus vocabatur Vandalus.* (De Fonte Viſtulæ, & Slavica ejusdem fontis, *Wiſta*, quaſi *obwiſta*, à pendendo appellatione. Sarn: l. 4. f. 28. Guag: f. 1. Hinc in Mapp: vet: legitur: *Iſtula*, *Vandalus olim.* Miechov:) XVI. *Lechus poſthac miratur in coloſſo ſtatuam Jovis, pube tenus figuram agni referentem.* XVII. *Polia reddit cauſam, ſic à ſe quondam erectæ, Jovis Hammonis ſtatuæ. Narrat hiſtoriam: De ſuo olim forti metu ex gregis ovium ſubito aſpectu. De Matrum gravidarum forti imaginatione, varias figuras formante in fetu. De ſibi olim in exilio nata in-*

ſante Vandilla cum ſtigmate Ovis, impreſſo pectori. De amiſſa tandem illa Infante: in cujus recuperandæ gratiam, Jovi Hammoni poſthac ſe ſtatuam erexiſſe narrat. XVIII. *Lachus exclamat plaudens, & affirmat Poliæ, ſe præſtò documenta daturum, Vandillæ ſuperſtitis. Tandem adſtante Libria & Viſimiro, narrat idem Lachus hiſtoriam: De ſua olim venatione in Slavonia. De Sene quodam in ſylva, miſerè cum infante geſtata circumvento à fera. De auxilio Seni præſtito à ſe Lecho. De vulnere accepto in vindicata ab urſo infante. De eodem Sene cum infante, in ſuum Lechi hoſpitium recepto. De eodem Sene, ſuos narrante caſus: jam exilium è Vandalia: jam raptum conjugis cum prole infante: jam ejusdem infantis in via repertæ, & hactenus ſervatæ ſtatum miſerum &c: De eodem Sene, ſe ante mortem profitente Negnonem è Vandalia; tradente Tutori Lecho infantem Vandillam, ſtigmate Ovis congenito ſignatam, & ad ſceptra Vandala, per Gesericum erepta, natam. De eodem Sene, tandem in aula Lechi mortuo in urbe Pola.* (De urbe *Pola*, parente Lechi; Sarn: l. 1. ſ. 21.) XIX. *Narrat item Lachus: De eadem infante Vandilla, ſuæ tutelæ à Negnone mortuo commiſſa. De ejusdem Vandillæ infantis pari ætate cum Viſimiro, & educatione. De ſuo Lechi tacito propoſito, deſpondendi aliquando Vandillam Viſi-*

Viſmiro. De mutato in infantia, Vandillæ *nomine in* Libriæ *nomen; cum appellatione Velleris congeniti. De errore poſthac mutuo; Viſmiri, putantis Libriam Sororem: & hujus, putantis illum fratrem: diſſimulante Lecho. De hujus Libriæ poſthac per Roſſum raptu, & præſenti felicitate.* XX. *Poſt finitam à Lacho hiſtoriam; diu ſinè voce, Polia, Libria, Viſmir, hæſerunt; ſtupore & lætitiâ attoniti. Tandem Polia Mater, in voces læta erumpit; & Libriæ pectori congenitum ſtigma recognoſcens, ſuam in Libria Vandillam ſalutat. Miratur Superûm diſpoſitionem, in dirempto fatîs Undalo. Antiquum Lechi propoſitum probat. Libriam Viſmiro in ſponſam offert, pro dote adjiciens Undali Regna ad Viſtulam:* XXI. *Libria ſalutat Matrem Poliam. Fert grates Lacho, Vindici & Altori ſuo tanquam Patri. Non deeſt officio Viſmir, plaudentibûs Polachîs.* XXII. *Polia, continuandæ lætitiæ gratiâ, in regalia Vavelli tecta cunctos invitat. Mandat parari triumphum victori Lacho.* XXIII. *Tandem ex mandato Lachi, præmiſſo terrâ exercitu, conſcendunt triremes in ſubjecto Viſtula paratas, Lachus, Polia, Viſmir, & Libria, cum pleriſq; Procerum: ac recenter impoſitum Viſtulæ nomen nobilitaturi, dirigunt prono flumine curſum versùs Vavelli arcem. Spargit fama de adventu imminente Principum, & de futuro Lachi triumpho.*

LIBER

LIBER XI.

I. MAGNA, triumphato non infeliciter hoſte,
Fama ſuos per Vandaliam, per & extera regna,
Victores, nullo non applaudente, canebat:
Excivitq; ſuis cives ex urbibus; uno
Impete denſantur pueriq;, ſenesq;, nurusq;,
Quæq; inter geſtant ſua prolem brachia Matres:
Occurrunt unà victoribus; inq; calentes
Sanguine adhuc campos, aciemq; à pulvere merſam,
Procedunt; ſpectare avidi, quà Sclavus ovârit
Miles, & edomito tentoria fixerit hoſte?
Hi crotalîs, feſtoq; Lachum clamore ſalutant,
Jlli veſtigant Alemana cadavera: parsq;
Nôſſe virûm vultus metuendos gaudet & arma,
Pars tractare neces; confixaq; corpora rurſus
Figere. Quin pueri Materna exempla ſecuti
Scuta ſuper reptare audent, petulanter & hoſti
Inſultant cæſo! tenerîs alii unguibûs atros

Effodiſſe oculos, membrîsq; avellere gaudent
Spicula, & adſtanti munus præbere Parenti.
At prior ante alios, ùt fuſum audiverat hoſtem, II.
Regina, & comitum numerô præſignis & oſtrô,
Gratanti ſimilis, Lacho tam ferre ſalutem
Quàm cupiens Gnato, præit applauditq; Polia.
Dum tamen (hêu ignara mali!) deprêndere læta
Omnia, ſeq; putat victori occurrere Gnato,
Quò dolor ille foret crudelior inter amoris
Gaudia concepti, prima offendiſſe cadaver
Undali & ipſa ſuo viſa occurriſſe dolori eſt!
Namq; videbat, utì mœrens exercitus emptam
Morte Ducis laurum damnabat, totq; timendîs
Hoſtibûs evictîs, luctum non vinceret unum;
Ora ſed atq; oculos circùm Regale cadaver
Solveret in lacrymas, fatis iratus iniquis.
Prima mali jam tunc capiens veſtigia, quàmvis
Quid ſit? adhuc dubitet, tamen omine palluit ipſo
Polia: & cunctîs, ùt cûiq; erat obvia, retro
Militibûs miſsîs, rapitur viſura locumq;
Et causam luctûs. Tum verò ùt triſte cadaver
Aſpexit Gnati, conſpectu obmutuit ipſo
Exanimis ſibi viſa diu; lacrymîsq; carebat
Ille dolor, vocisq; diu via defuit illi.
Viribûs amiſsîs, ſupra procumbit inane
Corpus; & immoritur pænè, immugitq; cruentæ
Sæva cicatrici! Tandem ſibi reddita paulùm,
Ora, comas, veſtem lacerans, vultumq; coortîs
Sicut ab imbre gravem lacrymîs, ad ſidera tollens:
Sæve (EXCLAMAVIT) tibi Jupiter, & tibi noſtrîs
Si, Fortuna, malîs tanta eſt contentio paſci,
Addite me cumulo fatorum, quæſo, meorum,
Sêu

Sêu amor eſt flammìs miſeram, sêu perdere ferrô!
Nulla mêæ pars ſana domûs à vulnere reſtet,
Atq; ego jam tandem dicar clauſiſſe ruinas,
Et ſuperincumbam cineri cinis ultimus! hêu! quàm
Ira gravis Superûm! ſoli mihi funera dêeſſe,
Quò magìs affligar, cupiunt! ſervire docebo
Fata mihi tandem, cogamq; miſerrima velle
Quod nolunt; moriens nolentibûs obruar illìs!
Ah! cur quærenti, miſerandam perdere vitam,
Ad facinus mihi dextra tremis? quis terror & amens
Me retrahit pietas? dolor eſt mihi debilis ergo?
Et quas ante habuit, vires vice perdit in iſta?
Hêu! quàm terra mihi vellem priùs ima dehiſcat,
Ante Puer quàm te videam, mea viſcera, tali
Funere demerſum! durum eſt ſpectare cadaver,
Durius eſt, Gnatum non cernere! dividor, inter
Funeris & vitæ confinia triſtia pendens!
Ducere ſi vitam Fili chariſſime nitar
Te ſinè, ſi pugnem tanto ſupereſſe dolori,
Me pejora manent! lethô crudelior ipſo
Mens mihi erit: ſemperq; tuæ miſer Undale Matri
Ante oculos ſtabis; nec erit manus ultima noſtris
Luctibus, hâud aderit finisq; modusq; malorum!
Nocte dieq; fleam Mater te Gnate, neceſſe eſt,
Pars animæ victura meæ, fulcrumq; ſenectæ!
Nonnè ego, dum nondum patiente ætate parares
Prælia, clamabam fati præſaga: *Quid hoſtem*
Vadis in adverſum Juvenis? metire quod audes
Quodq; potes! nimiùm ſunt lubrica prælia, & atra
Plenum opus eſt ſortis, belli genus! Hêu miſeram me!
Non exauditâ tentâſti prælia Matre,
Et non audita cecidiſti Gnate Parente!

Gna-

Cùm clades ſuper iſta omnes, quæ fletur, habenda eſt,
Materieq; minùs ſemper doleamus! at unà
Ne Regnum cum Rege cadat, te ponere Matrem,
Reginam induere, ac animosè vivere præſtat!
Parce precor, ſi in te peccat reverentia noſtra;
Patria jam tibi ſit Gnatusq; Paterq; Sororq;;
Omnibus his Patriam ne poſthabeamus, oportet,
Quotquot enim Cives ſervabis, tot tibi Gnatos
Eſſe puta; hâud aliter, nisì ſis ſimul ipſa ſuperſtes,
Servandos. Hêu mitte queri! *Non jurgia flectunt,*
Irritant Superos; quorum reſcindere nemo
Facta poteſt: juſſisq; aliquis ſi fortè repugnat
Non minuit clades; alias, nisì pareat, addit!
Fac, ſubmitte animos! factis mora nulla: quod inſtat
Elige; ſponte velis num Dîis parere coacta.
IV. Deſierat Lachus. Sed nullìs illa movetur
Vocibûs; hortatu quàmvis ab utrinq; parato
Viſimir hinc, Libria illinc ſolatia ferrent.
Non aliter, quàm ſi videat philomela recenti
Sanguine manantem nidum, modò mœſta querelìs
Cœlum implet, modò muta ſilet, circùmq; ruinam
Ipſa ſuam volitans, non conſolabilis errat!
Ergo perire preces ubi vidit Viſimir: Iſtud
Siſtere mœrorem ſaltem queat, (INQUIT) ut ipſi
Te ſalvam ſerves Natæ Polia Vinidi.
Namq; ea, ſi neſcis, vivit; ſupereſtq; Parenti
Ultima ſpes! modò læta aurem concedere pergas,
Omnia narrabo, tacui quæ nuper; & apto
Tempore decrevi narranda. Quod aptius iſto eſt
Tempore, quo, Gnati luges dum fata, repertæ
Gaudia Vinidis diſcas? Per ſidera juro,

Vivit

Vivit, & o felix regnat tua Gnata Vinidis!
Vivere felicem vidi, teſtisq; docebo.
Hûic ſaltem te ſerva, oro! nondum orphana nondum
Mater es; & *Prolis fas eſt miſereſcere Matrem!*
Ad nomen Gnatæ ſenſim ſibi viſa redire
Polia; inq; ſpei cœptæ ſolamine fixa
Erigitur! ſed adhuc dubiîs affectibûs errans
Lætitiæ & luctûs, ſuſpenſum tradere pectus
Neſcit utri queat, & ſimul ardet tradere utriq;. V.
Interea Lachus, poſtquam miteſcere ſenſim
Reginæ luctus adverterat; affore credit
Tempus, ut exſtincto redeat mœrore ſerenum;
Si, modò quæ ſævô cecidêre cadavera bellô,
Sint ſubmota oculis: gnarus, *Quantum urgeat, & quàm*
Multum habet ad luctus, viſi præſentia damni!
Ergo dari inferias cæſorum Manibus ultro
Imperat: *Ite* (inquit) *ſocias, quæ ſanguine nobis*
Hanc laurum peperêre, animas decoremus honore
Supremo; properate rogos, tumulumq;, pyraſq;:
Poſt bellum tandem ſuprema pace fruantur
Emeriti, nunquam fama moriente, Sodales!
Dixerat. Jlli omnes extunc inhumata ſuorum
Corpora deportant, ſubjectiſq; ignibûs urunt.
Dumq; cremant flentes; flammis morientibus oſſa
Eripiunt, miſtimq; locant, mors æquet ut omnes.
Erigitur tumulus, poſiti qui funus acervi
Dum ſuperinjecto ſepeliret culmine, tanti
Venturam ætatem belli de mole moneret.
At non illæ etiam, turbam quæ fortè minorem VI.
Plebejæ inferiæ tumulant, tibi maxime Regum
Undale juſta dabunt! ne ſit ſinè funus honore,
Dignus eris meliore urna: quà grandia magnum
Mau-

Mauſolea tegunt Cinerem, quodq; eminet altè,
Vandalidûm Regum Soboles condêre ſepulchrô!
Non procul à magno, fluvius quà Vandalus exit,
Fonte, ſtat armigero moles ſacrata Gradivo:
Templum auguſtū, ingens; quantum poſt prælia longa
Vandalidæ quondam valuerunt ponere Marti.
Manibus Auguſtis domus hæc: quotcunq; priorî
Mors Atavos Abavosq; Duces decerpſerat ævô
Vandali ab antiquo venientes Sanguine Reges,
Hîc ingens jacuêre Cinis. Decernere non eſt
Promptum, an mole magìs ſtructura ſuperbiat illa,
Depoſitônè magìs, cujus de munere vivit.

Huc, animus cunctis, magni deducere funus
Undali. Adornantur ſolennia; quivè dolorem
Magnificum deceat, pompæ deſcribitur ordo.
Tum Lachus ingentem ramîs hinc indè reciſîs
Conſtituit quercum, tibi deplorande trophæum
Armipotens: aptat Dagoberti cæde perempti
Exuvias; apicem galeâ criſtîsq; cruentîs
Induit, infra enſem nitidum thoracaq; ramis
Subligat; hinc clypeum, trunci de parte ſiniſtra,
Indè haſtam certa ſuſpendit lege trementem.
Mox alii crates, &, quod de vimine querno
Surgeret extemplò, fabricant ſublime pheretrum.
Hoc Juvenem tandem ponunt in pegmate Regem
Undalum! at arſuras Lachus obnubit amictu
Ipſe comas; ipſe arma addit, quibûs Undalus olim
Hoſtem exarmavit: truncos hoſtilibûs armîs
Exornat Lachus, figens inimîca ſuperno
Nomina ſuggeſtu: facto ſimul ordine mandat
A primis Ducibus ſpectanda inſignia ferri.

Ergo, ubi ter miles circùm regale pheretrum
Decur-

Decurrit lacrymans, ter lamentabile buſtum
Luſtrârunt in equis Polachiq; & Vandala pubes,
Itur! & ordo Equitum primus præcedit, utrinq;
Funeris in pompam verſis exercitus armîs.
Succeſsêre trophæa; Virîs primoribûs inter
Undiq; clangentûm ſonitum geſtata tubarum.
Currus abhinc, pheretri ſublatum pegmate corpus
Qui tulerat, ſtanti ſimilis, ſimilisq; dolenti,
Procedebat iners. Tetricæ poſt terga quadrigæ
Ibat & ipſe humilis, dejecto flebilis ore,
Olim audax bellator equus; quaſi dicere vellet:
Pro Domino ſolos jam ſe portare dolores!
Non dêerat pompæ, cuneo quæ prima, ſuarum
Ducit Amazonidum triſtis Libria catervam.

At, quæ pænè animô ſequitur dejecta ſtupenti, VII.
Maxima pars luctûs aderat Polia! labantem
Vix Lachus Viſimirq; tenent; quos inter utrimq;
Immemor ipſa ſuî nunc pugnîs pectora fœdat,
Nunc ululatu auras lacerat, nunc unguibûs ora;
Sternitur interdum, terræq; immurmurat ipſi
Neſcio quid! CLAMATq; Utinam me pompa referret
Iſta domum, non te, mea proh! mea viſcera, Fili!
Hi ſunt hi reditus, exſpectatiq; triumphi
Gnate tui! ah peream potius, quàm ſaucia tantæ
Teſtis eam pompæq; comes; cùm læta veniret,
Te Fortuna eadem venit ingratiſſima rapto!
Unde Parens capiam ſolatia? Tu mihi ſaltem,
Læta ſpopondiſti qui dicere Viſimir, edic
Quæ tibi Vinidis viſa aût audita venîbat
In mentem? poſſim dignoſcere, *Filia num ſit
Hæc mea*? diminuiq; âliqua de parte dolores
Jam noſtri poſſint! Quæ nunc ſolatia poſco,

Parva

Parva quidem modò ſunt, ſed non indebita Matri.
VIII. Æqua petis: (REDDIT VISIMIR) nêu tædia nobis
Cœptum iter offendant, mœrorq; ex parte fatiget,
Promiſſo ſermone viam fallamus, oportet.
Poſtquam ego (cêu toties docui) vi turbinis & vi
Irati pelagi, me tempeſtate Parenti
Ereptum quondam indolui, nec abire retrorſum
Fas erat; Heneticum tenuit noſtra anchora portum.
Arx fuit, & templum flammis Veſtalibus olim
Nunc etiam ſacrum: templo tunc maxima cuſtos
Præfuit Antiſtes, quam credo præeſſe Viniden
Hactenus. Hæc laceræ claſſis noſtrûmq; miſerta,
Dum petimus, vires reficit; concedit & omne,
Quo mea cum Sociis reparentur carbaſa, tempus.
Interea hoſpitiô ſupplex dum turba moramur,
Quos ego non caſus, quæ non arcana prioris
Temporis edidici! dum non vulgaria quæq;
Narraret, fieri quæ vix potuiſſe putabam!
Hæc inter, genus ipſa ſuum Patriamq; docebat:
Eſſe ſibi Patriam, fluvius quà Vandalus iſſet,
Vandaliam; nec ſuſtinuit reticere Parentes,
Negnonemq; Patrem, Matremq; exinde *Poliam*,
Et Juvenem Fratrem, nomen cûi *Undalus* eſſet,
Vandillæq; etiam meminit facunda Sororis.
Hos omnes Geſerici irâ faſtuq; rebelli
Exutos Regnô, Patriam mutâſſe dolendô
Exiliô (Fratre excepto) narrabat: at illic
Neſcio quem fluvium tenuî transmittere cymbâ
Dum properant, triſtis fortuna diremerat omnes!
Tempore namq; illo, diverſo in littore ſtantem
Poliam, Matrisq; ſinu propiore gementem
Vandillam infantem, rapiunt fera turba latrones!
Quos

Quos ubi perſequitur Negno, penetravit adusq;
Prædonum latebras, ac ſylvâ clauſus eâdem
Deſiit in totum Vinidi Negno videri:
Namq; ea torrentis transverſo in littore manſit
Jam dudum translata priùs; poteratq; Parentum
Una, relicta, dolens, longè ſpectare ruinam:
Quos ubi non reduces, nec tanto è funere ſalvos
Eſt ſperare datum, longîs erroribûs acta
Vênit in Henetici Vinidis littoris oram;
Heneticisq; illic Veſtalibus addita, plures
Hactenus exegit meritîs feliciter annos:
Antiſtesq; electa dehinc, modò præſidet aris;
Virgineiq; chori, templiq; iguisq; vetuſti
Sic Cuſtos fertur, terris ut regnet in illis.
Jlla meam claſſem, me prima meosq; miſerta eſt,
Hoſpitiô excepit, vires reparavit; & iſta
Quæ modò narravi, narraverat omnia. Tandem
Littore ſolventi mihi, munere ditius omni
Obtulerat munus, Galeam Gladiumq; vetuſtum,
Arma diu ſervata arîs, præſagaq; Lacho;
Utq; aliquando Patri deferrem ea, tradidit. Iſtud
Nuper ego Patri non enarrabile munus
Obtuleram: illud idem, Raptor quod Geſer ademit
Lemiſaletano quondam mirabile templo.
Scire cupis, quanam ratione in templa Vinidi
Venerit ablatum? paucîs Regina docebo.

Sic ait; & narrat: Quo Divûm munere Geſer
Percitus, arma eadem, quibûs orbē everterat, & quæ
Diripuit propriis, alienis tradidit aris.
Hæc ubi dicta, Addit: Donatus munere tanto,
Cùm modò Vandalicas longo poſt tempore terras
Viſimir aſpicerem, primò dubitare parumper

Mox licuit ſenſim cognoſcere; *Non periiſſe*
Vinidi Matrem! puto ſis, quam dixerat illa
Eſse ſibi ablatam per priſtina fata Parentem.
IX. Non erras facunde Heros (POLIA REPONIT)
Quæ modò miranti non es narrâſſe gravatus,
Eſſe nimis quàm certa reor. Noſtram eſſe Viniden
Hanc ipſam, Viſimire meam quam ritè probâſti,
Plusquam credo Parens! noſtra eſt, o noſtra Vinidis
Jlla eadem, quam ſæva mihi ſors abſtulit! illa
Quam genui Mater, cujus modò gaudeo ſorte!
Cur non conſpectu fruor illius? & ſua noſtrô
O dilecta nimis non pendent brachia collô?
At minùs ut doleam, ſatis eſt audîſſe Vinidis
Nomina, & à triſti ſervatam funere Gnatam!
O utinam pariter Superi præſtare velitis,
Certo Authore queam nomen quoq; ſcire ſecundæ
Et ſortem Gnatæ! quantum omni libera luctu
Quàm felix irem, Vandillæ conſcia ſalvæ!
Quis tamen hoc ſperet? plusquam temeraria plusquã,
(Vandillæ cùm nulla ſalus) ſpes iſta vocanda eſt!
Scilicet hanc ſperem deprêndi poſſe Puellam,
Cujus vix cineres mihi quiſquam reddat & oſſa!
X. Quid dubitas? (LACHUS EXCLAMAT) Sperare futurum
Hocnè etiam Regina times? *Dii omnia poſſunt.*
An, quia magnum hoc eſt, fieri quoq; poſſe negabis?
Ah quàm ſæpè aliud, quàm formidare liceret,
Evenit! Orbem iſtum nôrunt qui volvere caſus,
Improviſi adſunt! votis quò gratior ægris
Sors veniat, quantò minùs exſpectata tenetur!
Non ego jam dubito, quin & promittere nitor,
Ut

Ut Vandillâ etiam poſſis gaudere repertâ.
Dic modò, quod fatum, vel qui tibi caſus ademit
Vandillam infantem? quoniam prædonibus olim
Dum raperêre illis, ſimul eſt tecum acta Puella
In prædam; ſimilisq; ruina involverat ambas!
Qua ſimul ipſa feris erepta latronibus arte
In Patriam tandem, modò regnatura, rediſti?
De Negnone etiam, cujus modò diſcere nomen
Geſtio, ſi quid habes, nêu enarrare graveris.
Tum Polia alto ſuſpiria pectore ducens: XI.
Maxime, (RESPONDIT) quid me mihi Leche dolores
Antiquos renovare jubes? ſed tanta cupido
Eſt quoniam noſtros caſus perdiſcere, diſces:
Ambo adhibete aurem, Viſmirq; & Leche, loquenti.
Jllius ad fluvii ripam (cujus modò Viſmir
Narrando meminit) transverſo littore poſtquam
Vinidis Negnoq; ſtetit; ſum rapta duobus,
Rapta ſimul mecum, gremiô quam fortè gerebam,
Hêu Vandilla infans! ambas rapuêre latrones,
Vicinumq; nemus præda lacrymante petebant.
Nîl noſtræ valuêre preces, non obfuit infans
Vandillæ gemitus: rapitur cum Matre Puella,
Et pro lacte bibit lacrymas Matrisq; ſuasq;.
Auferimur! retro nos per loca longa ſequente
Vinidis gemitu, trans littora priſca relictæ.
Quod ſimul ac vidit, ferroq; accinctus & enſe,
Ibat ut exigeret ſua conjux pignora, Negno.
Specto ego currentem; ſimul omnibûs, *Ultor ut adſit*,
Viribûs inclamo: ſed fruſtra! abſcondita ſylvæ
Ocyùs irrumpunt, qui me rapuêre, latrones.
Atq; ità tam Conjux oculis quàm Gnata Vinidis

Quòvè magìs primam (quàcunq; mihi ire liceret)
Quæro viam, tantò magìs exerrare dabatur!
Nona dies aderat, cùm feſſa labore viarum
Me rurſus noſtræ, fatìs ducentibûs ipsìs,
Vandaliæ reddo, Patriamq; invita reviſo.
Hîc me, Vandaliæ Civis de civibus unûs,
(Cujus ego curæ quondam Gnatum ipſa reliqui,
Et cûi priſca fides in pectore manſit) Ovidas
Excipit hoſpitiô; Gnatum exhibet Undalum, & illo
Ut fruar interea, redeant dum cætera, ſuadet.
Hujus ego Civis defensa Penatibûs olim
Suſtinui longùm privatos ducere ſoles.
Alterius donec Geſericus imagine prædæ
Speq; throni captus, properanter cederet omni
Vandalia; ac rapto secum agmine grandis utrinq;
Militiæ, externum (quem nunc populatur) in orbem
Iſſet; & eſſemus noſtro diſcrimine tandem
Erepti. Jllo etenim penitus Rivale remoto,
Mox & amor & priſca fides pietasq; pudorq;
Paulatim noſtris redierunt Civibus: Omnes
Sceptra velim Patrii dimiſſa capeſsere Regni,
Invitant. Votis cunctorum pareo, regnum
Occupo, Vandalidis atq; hactenus impero noſtris.
Quàm felix Regina forem, ſi Gnatus adeſset
Nunc mihi; ſi Vandilla etiam, cujus modò Lache
Spem dubiam facere auſus eràs! ſed credere poſſe
Cûi datur? ùt jacet hic inopino funere noſter
Undalus ereptus, ſimili ſic funere Gnatam
Autumo demerſam! Miſeræ quid deniq; Matri
Reſtat? in hac tandem tumuler nisì clade meorum!
Finiit. Aſt illi ſolatia magna daturus XII.
Acclamat Lachus, plaudensq; ITA VOCE PROFATUR:

O Regina inter tot feliciſſima caſus
Inter & ærumnas! Non eſt (mihi crede) prioris
Præſentisq́; fleas cur jam mala temporis! illà
Parte jubet quando Fortuna redire ſerenum,
Qua modò detonuit; tanquam ſævîſſe puderet!
Parce, precor, lacrymis; nec Gnatam planxeris, oro:
Nam, licèt interiit, tamen illam è clade priori
Poſſe redire reor; pridemq́; amiſſa redibit
(O Mater!) Vandilla tibi! ſit maxima quàmvis
Vandalidis ea ſors, eat & quo protinus omnis
Obtento Fortuna minor; tamen augure Lacho
Eventura rei miracula credite tantæ!
Jamq́; ego, magna ſpei tantæ documenta daturus,
Sicut habet ſeſe res geſta, referre pararem,
Nî, prope quod noſtris Delubrum obtutibus inſtat,
Funeri adornando jam tempus adeſſe, moneret,
Unde Duci inferiæ priùs & ſua juſta parentur.

XIII. Talia, neſcio quid ſpondens, cùm diceret ille,
Ecce in conſpectum molis venêre propinquæ.
Templum Martis erat, validìs inſigne coloſsis:
De facie ſcires opus hâud mortale, nec ulli
Conceſſurum ævo, moliminaq́; omnia ſupra:
Ærea materies, cardo æreus, ærea ſummi
Curvatura tholi eſt. Sed quæ latet intus, amorem
Ars magìs atq́; oculos rapit admirabilis! illic
Pyramidas centum, ſtatuas totidemq́; videres,
Quæ tacitæ dum adſtant, & dum ſpectare videntur,
Non ſpectant; ipſæ potiùs ſpectacula fiunt.
In medio (quantum patitur locus ille) columnas
Interpôſta duas ſurgebat machina, magnis
Mauſoleum ingens & non vulgare ſepulchrum
Regibus: effigies quorum, rigidôq́; metallô

Nomi-

Nomina raſa, omni fulgebant pariete circùm;
Quotquot ab antiquo veniebant ſanguine magni
Vandali ad Hildibium, fatali marmore clauſi.
Ante fores mediâ vacuâq; Obeliſcus ārenâ,
Ipſe ſibi pompa & monumentum nobile, ſtabat.
Huc ubi regali cum funere venerat ordo
Exequiale canens, ſoliti ſolennia ritûs
Inſtaurant; ſtatuuntq; pyras, mactantq; bidentes
Dîis ferale ſacrum. Jaciunt ſuper igne feroces
Exuvias, gladios, galeasq; & frena, rotasq;,
Arma olim direpta hoſti. Solenniter ignem
Ter luſtrant in equis, ter ſub clangore tubarum
Ore ululatum edunt! lacrymæ ſimul undiq; cunctis
Regis ad inferias funduntur largiùs imbre!
Hæc ubi, cumq; aliis ſunt ordine ritè peracta,
Exanimes cineres & poſthuma Principis oſſa
Includunt urnæ, tumuliq; in marmore condunt.
Quid tibi tunc mentis Polia? dehiſcere poſſit
Si ſibi terra, cupit! tumulo quoq; vellet eodem
Triſtè gemens cōdi: niſi, quod circumſtetit agmen,
Ferret opem! gemit illa tamen, dat & ultima ſaxo
Oſcula; & ingeminat: *Salve Puer Undale, ſalve,*
Æternùmq; vale! fer honorem Nate ſupremum
Quem damus! exiguum tibi munus præbeo; ſed plus
Quàm nihil, iſtud erit! Sic ſe miſeranda fatigat
Vocibûs & lacrymîs! donec, quæ ſola quietem
Ferre ſolet rebus, longos manſueſcere luctus
Veſpere nox miſſo, curasq; levare juberet.
Poſtera poſt luctus aurora removerat umbras: XIV
Et jam crevit amor, reditu poſt omnia cunctis
Maturare viam. Cùm Lechus ab aggere celſo
Neſcio quem longè proſpectans ſtare coloſſum;

Quem ſuper intendens oculos Lachꝰ: Hujus origo XV.
Quænam (AIT) eſt undæ? certè ſpectacula noſtros
Non majora oculos unquam tenuêre! quod iſtud
Ipſo in fonte decus, cujus cunabula miror?
Nîl humile eſt fonti: caput undæ in vertice rupis,
Pes currentis aquæ ſuper àére pendet, & ipſo
Creditur ire polo, ſtellasq; invadere velle;
Eſſet utì Eridanus, cûi Jaſonis innatat Argo.
Dic, age, quo tantus, Regina, ſuperbiat amnis
Nomine? nam fateor, tali ſi nomina Fonti
Ipſe darem, Slavo cognomine, *Wiſta*, dediſſem;
Rupe quòd evolitet, quòd & àére pendeat unda:
Et quia non aliter rebus cognomina Slavi
Imponunt, quàm quæ rebus naſcuntur ab ipſis.
Deſierat. Contra cûi ſic Polia REPONIT:
Quam labi de caute vides, Dux inclyte, lympham,
Illius eſt fluvii fons admirabilis, ortu
Non procul à proprio qui pluribûs amnibûs hauſtîs
Grandior effectus, fluviis præit omnibus, ùt Rex;
Vandaliamq; omnem mediìs interſecat undîs:
Utq; hæc, ſic fluvius debet ſua nomina magno
Vandalo; ab illius cognomine Vandalus iſte
Nomen habet fluvius, Regisq; Inſignia ſervat.
At quia Vandalici cecidit ſpes ultima ſceptri;
Mutatô imperiô, nomen mutare decebit
Et fluvium: Slavo cognomine *Wiſta* vocetur.
Qui Polachis nomen, qui ſtemmata Lache dediſti,
Des ut huic pariter fluvio ſua nomina, cuncti
Auguror exorant: Authore vocabula tanto
Accipiat fluvius; ſit & *Iſtula*, *Vandalus olim*.
Hæc tamen ut rata ſint, quæ ferre ſpopondimus ultro
Hanc Jovis ad ſtatuam prece ſupplicé vota feramus.

Hæc

XVI. Hæc ait: & Statuam verſùs, quæ proxima ſtabat,
Antetulit greſſum; genibûſq; in ceſpite fixis
Vota facit, funditq; preces. Dant plurima circùm
Thura Sacerdotes; mactatur & hoſtia taurus,
Hoſtia grata ſuo ſacrumq; fidele Tonanti.
Hæc ubi facta; Lachus Statuam miratur, & INFIT:
Ut memini, nunquam tali ſub imagine pictum
Me vidiſſe Jovem reor. Eccur iſta figurant
Os humeroſq; homini ſimilem ſimulacra Tonantem,
Cætera ſunt aries? mediô cur deſinit eſſe
Jam ſuus; èq; Deo pars infima tranſit in agnum?
Dicite, qua Deus hic factus ratione biformis?

XVII. Inclyte Dux (REDDIT POLIA) quid iſta biformis
Miraris ſimulacra Jovis? quòd in arjete ſculpto
Hic medius latet uſq; Deus, peregrina (fatemur)
Format imago Jovem, ſed non nova: Jupiter Hāmon
Dicitur Ægypto, cultus regionibus illis.
Cur tamen hac ſpecie nobis fabricâſſe Tonantem
Viſum erat? exquiris? certæ pietatis imago
Id ſuaſit; cujus ſi cauſam diſcere geſtis,
Hiſtoriam à noſtris narratibus accipe talem:

Exul erat necdum, magnæ quoq; frena regebat
Vandaliæ Negno: cùm me dulcedine campi
Captam, amor impulerat loca viſere littoris hujus.
Paſco oculos herbîs, volucrum concentibûs aures,
Alloquiîs animum: placidi clementia cœli
Me modò delectat, modò mitis ſpiritus auræ.
Sic ego dum ſpatior; ruit ecce citatiùs Eurô
Grex ovium à tergo, ſitiens tunc ſolis ab æſtu,
Atq; ſitim cupidus, poſt paſcua, fonte levare.
Dumq; meo ſubitum jam tergo incumberet agmen,
Tam gravis & violens raptim me perculit horror,

Quan-

Quanto non ſimilem patiar, dum vita manebit.
Tum patuit, quantum gravidarum prole Parentum
Sêu valet affectus, sêu mentis imago profundæ,
Sêu oculus; quando, qua paſcitur, imbuit intus
Effigie fetum Mater, Natosq́, figurat
Hujus ad exemplar, quod mente medullitùs hauſit.
Sponſa gravis fueram Vandillâ infante; timore
Dum gregis objecti violentiùs icta fuiſſem.
Quàm timui poſthac, ne mens horrore ſub illo,
Nevè oculus ſubitæ correptus imagine formæ
Neſcio quid noſtro fetu depingeret! &, quæ
Non hominis fieret, daret orta in prole figuram!
Quodq́; verebar, erat; nec me formido fefellit.
Tempore namq́; ſuo rara mihi ſorte Puellam
Enitor: cujus ſub pectore viſa refulſit
Velleris effigies, & Ovis pendentis imago.
Stigma fuit; ſed quod decori nîl demeret: imò
Ornamentum ingens genitæ daret indè Puellæ;
Quale ſolet Regum pendere in pectore Vellus,
Et ſimul eſt decori. Tali ſub imagine natam
Infantem (quoniam exiliô mihi nata Parenti eſt)
Nomine *Vandillam* Mater miſeranda vocavi.
Nomen ab exilio factum eſt, non abſq́; futuræ,
Quam priùs edixi, miſerabilis omine ſortis;
Tempore namq́; illo, cum Conjuge cumq́; Vinide
(O dolor!) amiſi ſimul hanc, quam canto, Puellam!
Dumq́; ego Vandalicis rurſus ſum reddita ſceptris,
Hæc ſimulacra Jovi poſui: nec imago placebat
Ulla magìs, quàm qua celebratur Jupiter Hammon,
Velleris effigiem referens, agniq́; figuram:
Quò facilis meminiſſe meæ Deus iſte Puellæ,
Atq́; aliquando mihi, redimitam Vellere, poſſet
Red-

Reddere Vandillam! Quid ſpe conſumor inani?
Tempore jam tanto fruſtranea vota peregi!
Vandillæ nam nulla ſalus, non vivit & illa
Forſan abhinc! illam nunquam mihi Numina reddent,
Vel quia non poſſunt, vel quòd jam reddere nolint!
DIXERAT: & preſſo lacrymata eſt ore Polia.
XVIII. Tum Lachus EXCLAMAT: Superi! quid contuor horum?
Quidvè priùs mirer? veterum ſancita Deorum
Humanasnè vices? quando tot caſibûs acta,
Perdita jam toties, Matri Vandilla redibit?
Ah veniet! non jam Lechus ampliùs ambigo: certam
Concipe ſpem Mater! Quò plus de Prole locutam
Audio te; noſtra plus o plus mente recurrit
Quô tibi pollicear Vandillam vivere ſalvam!
Maxima ſed quoniam jam nunc documenta dediſti,
Unde queas Gnatam Genitrix cognoſcere: diſces
Non ignota mihi, quæ narras, ante fuiſſe!
Vandillæ nomen, cum Vellere ſtigma, Parentes,
Ætas, forma, genus, præſens ſtatus ipſe Puellæ,
Omnia ſunt comperta Lecho: ſed ut omnia diſcas,
Hanc ſimul ad Statuam, narrandi occaſio nobis
Quæ facta eſt, ſedeamus. DIXIT: & ambo ſub umbra
Ingentis Statuæ, coràmq; adſtante Libria,
Conſedêre. Dehinc, arrectis omnibûs, idem
Suſpirans Lachus PLACIDO SIC INCIPIT ORE:
Sclavoniam antiquam civilia bella priùsquam
Vertere cœperunt; felices ſorte Ducali
Viximus in Patria Fratres, Lechusq; Czechusq;.
Certa dies aderat, quo noſtra inceſſerat ardor
Pectora; curarum gravium poſt ſeria, velle
Ludicra, & à rerum mentem ſubducere mole.
Et

Et Lecho & cunctis placet experientia campi,
Venandi ſtudium nullo nolente probamus.
Otia concedo; miſsâ diſcedimus aulâ:
Hic agiles ad bella canes, capit alter adunca
Spicula; captandis ducuntur idonea damis
Retia, & armantur latô venabula ferrô.
Digredimur, capimusq; feras: nec tempore longo
Præda meo ceſſit non contemnenda labori.
Hac non contentus, ſylvæ interiora petivi;
Dumq; peto; noſtras vox illætabilis aures
Verberat: *O! fer opem, quisquis miſereſcere noſtri*
Jam perituri hominis! pereo! properate ſalutem!
Vocibûs auditis, ſtupui! paulùmq; moratus
Inclamo Comites! nullus qui præſtò fuiſſet
Adſuit; huc illuc dilapſos ſylva tenebat.
Hôc magis addubito, ne quem fera ſæva meorum
Cogeret in luctus tantos! aliudq; ſubeſſe,
Quàm quod erat, credo: Tum mox diſcrimine motus
Jam perituri hominis; ſubdo calcaria noſtro
Cornipedi, properoq; celer; vox miſſa per auras
Quà ducebat adhuc. Venio! ſpectoq; ſupernæ
Arboris in ramo tollentem brachia cælo.
Clamantemq; Senem! quo nulla auguſtior oris
Viſa mihi ſpecies: Regem Vultu ille ferebat!
Infantemq; gerens, pro qua trepidaverat, omni
Quo potuit ſtudiô, ſubeuntem cominùs urſum
Submovet ex alto, jactæ modò fragmine frondis,
Nunc ſtrepitu, nunc, qua jaculatur fragmina, dextrâ.
Meq; ubi conſpexit: *Fer opem Fortiſſime* (clamat)
Quisquis es; & feræ nos eripe faucibus hujus!
Motus eram precibûs: factô ſimul impete in urſum,
Transfodio mucrone feram; dum bellua repens
Arbo-

Arboris in ſummum, ſe ſe luctando libraret.
Tamq; fuit fèlix ferri meus ictus, eodem ut
Vulnere mucro feram trunco configeret ipſi:
Non indemnè tamen : furor ultimus erigit urſum,
Et media ſub morte licèt, tamen hoſte potiri
Ardet, & in me acres convertit bellua dentes.
Nîl poterant dentes ſpatio prohibente: ferocit
Ungue fera, & noſtro leve vulnus fecit in armo.
Læſus eram; modicoq; meo victoria parta eſt
Sanguine, morte feræ, Senis Infantisq; ſalute.
Victor abhinc, jubeo: *Deſcende ex arbore ſoſpes,*
A nobis defenſe Senex. Deſcendit: & unà
Procidit ad genua; Infantem (quam fortè ſiniſtrâ
Geſtabat) pedibus noſtris proſternere gaudens:
Atq; ait: *O noſtris modò qui ſuccurrere primus*
Auſus es ærumnis proprio diſcrimine; qualem
Te memorem? magni nisì ſis quòd Numinis inſtar!
Quas tibi nunc grates perſolvam pauper & exul?
Dicebat. Reloquor: *Quas nobis ſolvere quæris,*
Redde Diis grates! nullum pro munere munus
Exigo; Mercedem ſibi virtus ipſa rependit.
Quin quoniam miſer es, nec te de plebe tuorum
Auguror, & magnum majeſtas exhibet oris;
Hôc magìs indoleo! nè dedignaris, euntem
Me ſequere, & noſtris ſuccede Penatibus Hoſpes.
Sic loquor: inq; arcem campô procedo relictô;
Me ſequitur lacrymante Senex Infante gravatus:
Et tandem celeri paſſu ſuccedimus urbi.
Hoſpitiô exceptum, vinôq; cibôq; refectum
Multa Senem rogito: *Qui ſit? cur venerit iſthuc?*
Qua regione ſatus? Multis pauca ille reponit,
Atq; AIT: E magna, cujus modò ſceptra tenebam,
Van-

Vandalia pulsus, peregrinas quærere cogor
Exiliô terras. Utinam Fortuna nocendo,
Sic mihi dum nocuit, jam delaſſata ſtetiſſet!
Sed ſævire magìs placuit! ſolatia luctûs
Ultima ut infelix Princeps amiſſa dolerem!
Una comes miſero Conjux cum Prole gemella
Adfuit: hanc etiam fata invidêre! latrones
Uxorem rapiunt, atq; hanc, quam geſto, Puellam!
Quas ego dum repeto Vindex fruſtraneus; iſta
Nîl minus effecit, quàm ſi nihil auſa fuiſſet
Dextra! licèt magni, fruſtra periêre labores!
Namq; Uxore mihi rapta, fugêre latrones
Defenſi ſylvâ: cujus dum abscondita luſtro,
Nîl, niſi Vandillam, mea (quæ gero) pignora, Gnatam
Invenio infantem! dubium, caſunè Deonè
Fæx ea latronum mediâ projecerat illam
Excuſſitq; viâ! lacrymantem è pulvere Gnatam
Unica jam noſtrî ſolatia ſublevo luctûs!
Perq; dies aliquot Pater errabundus & exſpes,
Infanti metuens, tempus vagor exul ad iſtud.
Donec in hos nemorum ſaltus, ubi dextera Leche
Me tua ſervavit, per mille pericula vêni.
Dicebat: lacrymæ vocem impediêre loquentis.

Conſolor tunc indè Senem, *Magnoq; dolori*
Temperet, admoneo! nullìs affatibûs ille
Leniri, nullâ ſolatia ſuscipere aure!
Quarta dies aderat, cùm fractus mole malorum
Exhauſtusq; labore viæ, malè cœpit habere
Æger in ante Senex: veritusq; noviſſima vitæ
Tempora languentis, pallens quoq; morte futura,
Poſtulat infantem: porrectæq; ultima libat
Oſcula Vandillæ; tremulo quam pectore ſtringens

Me

Me vocat, & jam jam moriturus talia mandat:
Leche, mei Vindex, quoniam tam prodigus exſtas
Tam pius in miſeros, moribundo deprecor ore
Hoc unum; Vandilla infans, mea Filia, dempto
Me Patre, ne careat curis pupilla Paternis!
Suſcipe Pupillam Tutor, quam Vandala Regna
Hæredem poſcunt! nata eſt ad regia ſceptra,
A cunis regale gerens in pectore vellus:
Aſpice, ſi dubitas! Dixit: digitoq; tremente
Congenitum infanti monſtravit pectore Stigma.
Stigma Ovis exhibitum eſt, decori ſinè labe futurum!
Hæc ſuper: *Hanc* (inquit) *pius accipe Leche Puellam,*
Utq; Pater cura; vitam cùi pænè dediſti
Dum miſeram eriperes rabioſi dentibus urſi!
Ah! Sortis miſereſce meæ, miſereſce Puellæ!
Te præter jam nemo ſubeſt, cùi pignoris hujus
Cura ſit! ipſe etenim jam langueo morte futura,
Langueo! ſupremumq; vale vix dicere fas eſt!
Finierat: gemitu poſt ultima verba ſecuto.
Tunc ſperare Senem jubeo, mandata probando
Qualiacunq; daret; ſimul hæc Lechus addo: *Priusquam*
O moriture Senex nos teq; reliqueris, edic
Nomen (quæſo) tuum; dic nomina Conjugis olim
Amiſſæ; non vana peto, non vana docebis.
Hæc ego. Nulla meis aſt ille reponere verbis
Verba poteſt; mutilâ reſpondet nonniſi voce:
Sum Ne-gno: dicturus erat; ſed pallida fruſtra
Ora Senex motans, conatu obmutuit ipſo;
Luctatusq; diu, tandem defecerat hiſce
In manibus noſtris, animamq; efflavit in auras!
XIX. Hæc narrante Lecho, non eſt edicere promptum,
Quantus Poliam, quantusq; invaſerit omnes

Et ſtupor & gemitus! lacrymas tamen inter acerbas
Plura locuturum cupiunt audire, rogantq;
Quos ubi ſic cupidos advertit Lechus: An ergo
An dubitas (INQUIT) Præſes Polia; Vir ille
Quòd fuerit Negno, Conjux tuus? omnia certè
Id documenta probant, ſi ſortem, nomina, caſus,
Si vetus exilium, ſi tandem computo tempus.
Vir tuus ille fuit, noſtrâ qui mortuus aulâ eſt!
Juſta cui poſtquam perſolvi ritè ſepulto,
Vandillam tunc Tutor alo, praſtoq; Parentis
Omnia, juratamq; fidem Lechus expleo factis.
Viſmiro tunc fortè meo, qui Filius idem eſt,
Par ætas aderat, ſimilesq; per omnia cunæ.
Ut Vandilla fuit, fuerat quoq; Viſimir infans.
Educo tunc ambos pariter; nec diſpare cura
Viſmirumq; & Vandillam lactefcere lætor.
Exhibui Patrem; nec erat mihi cura Puellæ
Aût minor, aût aliter, quàm ſi mea Gnata fuiſſet!
Nempe merebatur, quam nulla dote carentem
Optarem genuiſſe Pater! certaverat illi
Et decor & virtus & gratia miſta pudori!
Hæc ego mirabar; ſed plus in pectore fixum
Admirans vellus, Me sic aliquando Locutum
Commemoro: Quinam ſit feliciſſimus ille
Qui ſibi Vandillæ poſthac mereatur amorem,
Atq; aliquando iſta potiatur Conjuge Conjux?
Cur alios quæro? certè mihi Filius hujus
Ætatis ſupereſt. Creſcant feliciter ambo
Infantes! dignus Vandilla conjuge certè
Nemo niſi Viſimir: par gloria certat utriq;
Par ætas & honos, ſimilisq; per omnia virtus.
Ante tamen, quàm connubio maturior ætas

Venerit, ignari vivant; Viſimirq; Sororem
Vandillam eſſe putet, Fratrem Vandilla viciſſim
Viſmirum reputet: ſeſe arbitretur uterq;
Germanam Lechi, tanquam duo pignora, Prolem;
Proderit hic error, venietq; in tempore felix!

Hæc mecum ipſe loquor: nec multo tēpore poſthac
Infanti Lechus *Vandillæ* nomina muto
Libriamq; voco. Sub nomine protinus iſto
Non probitate minùs, tenerîs quàm creverat annîs!
Forma decorq; illi (qualem modò nempe videtis)
Certârunt; virtute ſimul ſuperaverat annos:
Usq; adeò, ut talem, teneri Genitoris amore
Mitis adulator, cognomine Velleris aurêi
Cenſerem Lechus, per blanditiasq; Paternas
Auratum in Libria jactarem Vellus haberi!
Sæpè ego Vismirum, *Libriam Frater amaret*,
Admonui: monitu Soror ipſi eſt credita noſtro.
Sæpè ipſam, *Fratri Viſimiro ferret honorem*,
Admonui: Fratrem Viſimirum credidit illa:
Atq; edocta piâ ficti ſibi fraude Parentis,
Viſmirum *Fratrem* dicebat, at ille *Sororem*,
Meq; appellabant *Patrem* concorditer ambo.
Talis ſub Lechi tutela adoleverat olim
Libria, depoſito *Vandillæ* nomine: donec
Subdolus hanc noſtro Roſſus rapuiſſet amori!
Quam modò tot caſus & tot diſcrimina rerum
Expertam, mecum attoniti (prôut auguror) omnes
Aſpicitis; ſupraq; alios tu prima Polia,
Cûi ſua jam tandem Matri Vandilla reperta eſt!
Aſpice, quid dubitas? hæc eſt tua Gnata, tuæq;
Deliciæ; impreſſo Vandillam ex ſtigmate noſces!
Tuq;, tuæ ſortis quæ nunc lætaris & hæres

Even-

Eventu, Matrem venerare, nec oſcula differ
Libria! te tandem ut noſcas, cognoſce Parentem!
Cur inſperatos complexus Libria differs?
Dixerat: & tacitis adſtantûm in vultibus hæſit.
Obſtupuêre omnes! tantiq; examine caſûs XX.
Attoniti, longo nil auſi dicere quisq;
Tempore! quodq; licet, muto ſolùm ore loquuntur
Libriam ante alios tenet admiratio, teq;
Viſimir! absq; diu lacrymis vocisq; ſinè usu
Hæſerunt; ſimiles ſtatuis è marmore credas!
Sic ambo immoti meditantur; & ora viciſſim
Ore, oculosq; oculis alterno lumine figunt!
Jamq; monebat amor Libriam, *Daret oſcula Matri*,
Nì ſtupor officium cœpti tenuiſſet amoris!
Ipſa etiam dudum conata abrumpere Lacho
Sermonem, quoties vocem proferre pararet
Polia, obticuit! ſæpè ad ſua gaudia languens,
Sæpè velut moriens: Tanta eſt vehementia amoris!
At poſtquam inſolito mentem collegerat æſtu,
Tunc celer & plaudens humeros ſuperinjicit ambos
Libriæ collo! dat & accipit oſcula! & ullum
Si pateat, quærit, ſignato in pectore Vellus!
Exhibitum Stigma eſt, Vellusq; in pectore fulſit,
Et tenuit longo mirantem tempore Matrem!
Signa videt jam clara, ſuam teſtantia Gnatam:
Sed ſi non ſignum, non index ullus adeſſet,
Credere juſſiſſet natura, valentior iſtis.
Ergo ubi non dubiæ manifeſto pignore Gnatæ
Signa recognovit, plaudẽs EXCLAMAT: Adesdum
Filia dulcis, ades! priſcæ nec mole ruinæ
Obruta, de noſtro ludis mea ſarcina collo!
Hìc ego te tandem chariſſima Libria! vivis?

Vivis! & ulla licèt mihi te non ſigna probarent,
Matris amor verax Gnatam deprênderet eſſe!
Nam quò plus Lechi narratu pendeo, quò plus
Lumina figo tuo vultu mea; plus quoq; fibrîs
Sentio neſcio quem tenerum mihi ſerpere amorem.
Noſco vetus Signum! non tu mea Gnata negari
Jam potes; inq; iſto mihi ſtigmate tranſitus in cor
Rectus adeſt *Vandilla* tuum! Mea gaudia tandem
Quo pacto moderer? quid enim quid deniq; nobis
Plorandum ſupereſt, ſi te mihi reddis ademptam,
Reddis, & afflictæ rurſus mihi naſceris infans?
Pænè obliviſcor veterum Regina malorum,
Dum fruor obtutu Gnatæ; dum cuncta reſarcis
Deq; tot ac tantis mihi Libria ſola ſuperſtas:
Libria deliciæ populi, mutilæq; Poliæ
Immortalis honos: quam ſi vel fata tot inter
Aſpicio ſalvam, datur inter vivere mortes!
Tenè ego degentem noſtræ penetralibûs aulæ
Ignoravi amens? te nunc quoq; noſcere primùm
Fata Lechusq; ſinunt; quam Mater tempus ad iſtud
Neſcieram, rabienè fores exſtincta ferarum,
Annè illæſa tuis in caſibus? o mihi terrîs
Gnata, o & regnîs, & re quoq; charior omni!
Ex inopinato, Polia miſerrima, lucrum
Quale tuli! ſævîs quo tempore concidit armîs
Undalus, incolumem reddunt mihi fata Libriam!
Tu me jam Gnati, mala dum præſentia lenis,
Jacturam ſentire vetas! jam deſino fatis
Iraſci! Frater ſi Conjuge nempe Sorore
Sic potiturus erat, nîl conqueror; Undalus armîs
Occiderit! tantum dum morte averterit illa
Errorem, poterat ſi ſola avertere morte!

Sic

Hic locus, hæc ſimplex plebeji littoris ora.
Cur non Vavelli regalia tecta ſubimus?
Curvè moramur iter? ſunt digna Palatia certè
In quibus hic ſinè nube dies mihi feſtus agatur.
Arx ubi ſublimi nitet interpôſta Vavellô,
Huc flectamus iter. Regalia tecta ſubire
Fas tamen hâud aliter fuerit; niſi præduce magni,
Qui tibi Lache Pater debetur, honore triumphi.
Qualis pompa olim Romæ ad Capitolia duxit
Victores poſt bella ſuos; te tanta, neceſſe eſt,
In tectum regale ferat! num priſca tulerunt
Sæcla parem tanto, quantum tu viceris, hoſtem?
Victor ades certè, quo non præſtantior alter
Ullus adoratur: Tibi Dux venerande triumphos
Debemus; cum pompa arcem ingrediaris, oportet.
XXIII. Nîl moror; & tanto (LACHUS EXCIPIT) eſſe favori
Me pronum Regina ſcias; à meq; meiſq;
Facta puta quæcunq; jubes! tamen ante, paretur
Quàm mihi quàmvè tibi cum majeſtate futura
Pompa triumphalis, præeant facto ordine caſtra,
Seq; locent ſpatio, quo debita pompa paretur.
Terrâ illis capiatur iter: nos flumine prono
Ibimus, & celſam ratibûs ſiſtemur ad arcem.
Vandalus eſt certè qui præterlabitur alvêus,
Utq; Libria, ſuum nomen mutavit & ille,
Viſtula dicendus poſthac; tantiq; futurus
Facti imitator abhinc, ac omni tempore teſtis.
Nave quid ambigimus fluvii tam nobilis undas
Et tentare fidem? certè ſi Velleris aurêi
Nomine digna fuit Libria, hâud degener iſte
Eridano fluvius, munus qui Velleris aurêi
Amne vehat placido, terris noſcendus & aſtris.

De-

Deproperate rates! deſcendere flumine in arcem,
Poliæ Lachoq; placet, Libriæq;, meoq;
Viſmiro. Primo fas nobilitemus honore
Emeritum fluvium vectandis navibus aptum.
Dixerat. Extemplò juſſus præcedere miles
Terrâ iter arripuit, Vavelli mœnia versùs.
Cærula purpureîs aſt indè triremibûs unda
Sternitur: aſcendunt ornata tapetibûs aurêis
Tranſtra; Polia, Lachus, Viſimir, Libria, Quiritesq;
Ex multis pauci. Dimiſſo littore tandem
Velificatur aquîs, quà nabilis Iſtula magnum
Vavelli montem celeri prælabitur unda.
Fama præit, rumorq; volat, ſpargitq;: *Triumphum*
Acturos properare Duces! Coit undiq; turmîs
Vandalia; exspectans ſuſpenso gaudia vultu.

ARGUMENTUM
Libri 12mi.

I. *Saginvida, Lacho fortunam invidens, decernit ope Sagaliciæ Sororis, reſcindere ſucceſſum Lachi. Carpatii montes cum Incolis deſcribuntur, & Licentia cum agnatis vitiis.* (De montibus Carpatiis ſeu Venedicis, vulgò *Tatry*, Sarn: l. 1.) II. *Saginvidæ ſermo ad Sagaliciam, pernicioſus Lacho.* III. *Sagalicia paret juſſis Sororis. Provolat cum aſſeclis ad nocendum Lacho. Inficit peſte omnia.* IV. *Jurgia Vandalorum cum Polachis de ſtatione caſtrorum: ac tandem conflictus domeſticus.* (De conflictu Slavorum cum Vandalis, Sarn: l. 4. Crom: f.22.) V. *Interea Lachus accurrit; & infelicem civilem pugnam dirimit feliciter. Pacem priſcam reſtituit. Stationem caſtris ipſe diſponit.* VI. *Gebericbus ſuadet Lacho condendam ſub Vavello monte urbem, exemplô Gneſnæ.* VII. *Lachus reſpondet: id ſe Poſteris ſuis relinquere. Futuræ urbis præſagia in clypeo oſtendit.* VIII. *Plantam tamen futuræ urbi, in formam Aquilæ, ponere non differt; imperans tuguria ad ſimilitudinem Aquilæ fabricari ac digeri: & ſimulatam urbem,* Aquileiam *appellari. Priùs tamen, conſiliô Viſimiri, caſtra cum ſuis ad futurum triumphum inſignibus diſponit eô loci; in eam Aquilæ figuram, in quam nunc erecta Cracovia cernitur.* (De figura Cracoviæ, erectæ in formam Aquilæ: Sarn: l. 4. f. 178.) IX *Omnibûs ad pompam præparatis, agit triumphum Lachus. Ingreditur curru triumphali ſimula-*

mula-

mulatam Urbem Aquileiam & Arcem Vavelli. Templum Gradivi ingreditur, & laurum reponit in ſinu Martis. Fidem Poliæ jurat: idem præſtante Libria Viſimiro. (De 2do Martis ad Viſtulam Templo, Crom: p. 32.) X. *Victimas Myſtæ geminant; & cantu celebrantur Solennia.* XI. *Lachus è templo Regiam petit, variis ex ſuo imperio picturis adornatam. Hîc varia quidem, præcipuè tamen 5. Symbola libertatis oſtendit ac explicat: & de ſingulis docet Libriam.* XII. *Littalanus interim, à Palæmone ex Littalia Legatus adeſt. Petit fœdera & amicitiam cum Polachis. Docet ſuæ Gentis genus, ſtatum, & conditionem, olim Viſimiro à Palæmone narratam. Narrat, de Palæmonis, poſt varios caſus, ad Niemen fluvium appulſu: De colonia ab ipſo ſupra Viliam fluvium fundata: Deq; urbe Vilna &c:* (De origine Litvaniæ à Palæmone & Littalano, claſſe profugis ex Italia, metu Attilæ &c: Item de captatis Vicinorum animis à Palæmone &c: Miechov: l. 4. c. 39. & l. 2. c. 2. Kojał. l. 2. & 3.) XIII. *Lachus ſancit fœdera & amicitiam cum Palæmone. Vocat ad concionem Polachos.* XIV. *Concio Lachi ad ſuos Polachos. In hac, commendat Lachus nexum perennem cum Littalano, ejusq; Poſteris. Tandem conſtituit leges ſervandas: ſeipſum, in placida imperii regula, vivam legem exhibens.* (De legibus & libertate Polachorum, à Lacho ſic deductis. Crom: l. 2. Sarn: l. 4. Neug: l. 2. Ines in Lech:) XV. *Lachus, pro teſtamento ultimo, leges ejusmodi, in tabulis raſas, Polachis porrigit. Accipiunt læti: & Legiſlatoris Sanctionem unanimi conſenſu probant.* XVI. *Apoſtrophe ad Polachos, & ad Muſas.*

LIBER

LIBER XII.

I. VENTUROS læta cum libertate triumphos,
Fortunamq; Lachi, quævè illi quantaq; tandem
Regna pararentur pompæ ſplendore futuræ,
Viderat infrendens Saginvida; cernere quantum
Permisêre oculi, livoris felle madentes.
Vidit, & indoluit! quid agat tamen? improba neſcit.
Permittat Lachi Fortunam creſcere? verùm
Morte putat gravius, ſi cûiquam barbara parcat,
Si nulli noceat. Cœptis felicibus obſtet?
Sed fruſtra: vires cecidêre; ad prælia nullum
Robur habent, primo ſe fractas Marte fatentur.
An vocet auxilio Magaſervam fortè Sororem?
Hæc quoq; jam victa eſt; cecidit Maga Marte ſecũdo.
Nullus ineſt languor ſceleri. Saginvida quàmvis
Seq; ſuamq; dolet nîl profeciſſe Sororem,
Non deſperat adhuc: Soror altera reſtat, & addit
Saga-Licia animos, veteremq; recalfacit iram.
Hujus ope invictam Saginvida, prima Sororum,
Se fore confidit; Germanæ forſan ab hujus

Si petat obſequio fomenta ſororia, credit
Nil læſum, quod non veſana Licentia ſanet.
Eſt locus, & cælo nimiùm vicinus & aſtris,
Carpatus, antiquo cantatus nomine; montes
Cûi cedunt collati omnes, vel Pelion Oſſæ
Si ſuperimponas: da pendula nubila & Alpes,
Tantus erit, quantus data nubila vincat & Alpes.
Hunc & adire nefas; nec, qui pervaderet illuc,
Pes erat inventus: ſolis tractabilis illa
Eſt moles capreis, levibusq; per àëra damis:
Quæ celeres, nulloq; gradum remorante perîclo,
Huc illuc ſaliunt per ſumma per ardua montis.
Non longè abſimiles, qui montis ad ima coloni
Latè habitant, capreasq; leves imitantur & ipſi.
In mores hominum, mores fluxiſſe ferarum
Ingeniumq; loci credas: ſinè lege jugoq;
Vivere, & à patriis deducere rupibus omnem
Duritiem gaudent. Populo non ullus honeſtì
Eſt amor: ex rapto diteſcere, vivere furtìs,
Nocte dieq; vagas hàc illàc tendere fraudes,
Fas æquumvè putant: ſunt tuta mapalia nulli;
Nulla pavore domus, nullus caret angulus hoſte;
Tecta, viæ, ſylvæ, valles, plena omnia bellô,
Plena latrociniìs: Tanta inclementia terræ eſt!
Hîc poſuit propriam perverſa Licentia ſedem,
Saga proterva, effrons, leges non paſſa rebelli
Pectore: Sed, quod alit populorum funera & iras,
Quod regna evertit, ſceleriq; dat arma furenti,
Hoc cordi eſt, hoc illa vocat juſtumq; piumq;.
Hinc atq; hinc Dominæ latus omni ex ordine cingūt
Audaces Famulæ: legum Violatio, quæſtu
Sordida Avarities, Diſcordia, Seditioq;,

Ira-

Iraq;, & Ingluvies, Vindicta, & ſæva Rapina,
Visq; premens miſeros, fraudumq; Magiſtra ſuarum
Perfidia, & tumido furioſa Superbia vultu.
Regnat in has animas laſciva Licentia ; quòdq;
Jllæ orbem miſcere auſint, ſusq; omnia deq;
Vertere, quòd frenô confundant cuncta ſolutô,
Hoc regnare putat! probat omnia crimina mundi,
Nec, nisì languentem ſcelus omne infecerit orbem,
Eſſe ſibi felix & ſana & tuta videtur!
II. Forſitan Ancillas tunc imperioſa monebat,
Proponens aptas vertendis moribus artes.
Cùm Soror infelix alìs pernicibûs acta
Adſtitit Invidia, atq, has EDIDIT ORE QUERELAS:
O Soror, o noſtri ſpes certa ac unica voti,
Surge, quid obdormis? non te mala tanta Sororis
Ignavam tangunt? certè majora relatu
Sunt mala, ſunt ævo nunquam deprênſa priori:
Quæ nisì reſcindis, nîl jam ſperare relictum!
Jlla ego, tot ſpoliis hominum, lucrîsq; cruentîs
Invidia exultans, nunc victa à Vindice Lecho
Luctibûs exornor ſolìs! ſpoliaverat ipsîs
Viribûs Invidiam Dux improbus! ipſius olim
Dum præceps cuperem præcidere vota, ſuamq;
Perdere Fortunam, ſors perdita noſtra per illum eſt!
Viribus attritis fruſtra ſuccurrere quondam
Conata eſt Magaſerva Soror; non juverat ambas
Vis unita diu: nullo non fortior hoſte
Vicit utramq; Lechus, diſcriminaq; omnia riſit!
Quòvè magis poſſit ſtudiis illudere noſtris,
Publica adornentur, ſtatuit, *monimenta trophæi*,
Cuncta adverſa velut ſuperaverit! Omnia lætus
Præparat ad pompam: ſolennia feſta parantur,
Et

Et ludi, & currus, & laurea ſerta, ſuiq;
Teſtatura Ducis prope mille inſignia famam.
Romanis ſimiles ut agat trux latro triumphos,
Hos parat applauſus; quibûs admirabilis orbi
Latè eat, & dignus, cûi pareat integer orbis.
At niſi vertis opus, totâ parebitur illi
Vandaliâ! ah venit hoc, venit illætabile tempus,
Quo jura, & leges, libertasq; aurea priſcam
Tollere cervicem incipiant! nî fortiter obſtas,
Hæc faciet Lachus; nec erunt felicia regna
Ulla magìs, quàm quæ nata hoc Authore canentur!
Tu Soror inceptis obſta; dimitte per orbem
Quotquot habes Famulas, facinusq; intercipe naſcens
Criminibûs miſsîs: tota regione vagentur
Harpyæ immanes ſcelerum, quo fabrica Lachi
Concidat in præceps, pietatis imagine versa.
DIXERAT: &, lacrymîs cêu plus evincere poſſet,
Muta preces reliquas lacrymîs ſupplevit obortîs.
Facta puta, quæcunq; jubes; prorumpimus ultro: III.
(SAGALICIA REFERT) non eſt, cur meq; moreris
Teq; Soror! rapimur; qua Lachus & aurea regna
In prædam noſtris veniunt conatibus. Ite
Audaces Famulæ, totumq; invadite regnum,
Me Duce felices! nullo certamine vobis,
Auguror, abfuerit victoria! toxica latè
Si modò ſpargatis vitiorum, ſi quoq; virus
Pectore combiberint Polachi; mihi ſubdita rebor
Omnia: quemvè Lachus fabricat ſibi mente triũphũ,
Noſter erit! non ille orbi, dominabimur illi.
Hæc ait: & plauſîs nullo ordine provolat alîs
Quà via quàvè fuit nusquam via. Scilicet illi
Cuncta licent; freni Maga neſcia, legis & expers,

Præ-

Præterit aut calcat, quidquid bonus objicit ordo.
Ordine protrito ſimul hûic adduntur eunti
Peſtiferæ Famulæ; Diſcordia, Seditioq;,
Iraq; cum reliquis: tamen his *Præire laborat*
Ut ſolet, ambitioſa Superbia; ponere docta
Radicem ſcelerū, primamq; ad crimina pl ntam.
Hêu miſeri! quorum mentes & pectora, tantæ
Afflârint peſtes! afflant tamen omnia Sagæ,
Ut *Nîl ſit firmum, quà ſæva Licentia tranſit!*
Fortè ſub introitum Vavelli pendula montis
Venerat! ecce videt laxatîs nonnihil alîs
Ire catervatim peditesq;, equitesq;, ſuosq,
Turmarum cuneos, Lachum præcedere juſſos,
Quærentesq; locum, poſſint quo figere caſtra.
Labitur in præceps, famularum cum grege, Saga,
Secum aconita ferens, hominum vertentia mores.
Intermiſta Viris, nunc hos nunc inficit illos
Inſpirans virus; nunc quærit idonea votis
Tempora, dum liceat magis inſanire magisq;!
Nec mora: nectendis optata furoribus hora
Venerat, omne ſacrum jus fasq; evertere docta;
Majus & hîs aliquid ſi ſit fortaſſe patrandum,
Præſtò patrare audax, modò crimine crimē inumbret.
Semina prima mali Diſcordia jecit & Ira,
Ambitioq; tumens, novit quæ cedere nulli,
Diſſimulare nihil, quoties vel opinio facti
Dedecoris, læſi vel honoris vulnerat umbra!
IV. Fortè laborabant Polachi componere caſtris
Editiore loco ſtationem: Cùm malè cunctos
Æmula vis & amor proprii ſceleratus honoris
Vandalidas uſſit! *Spretâ nîl fortius irâ eſt,*

Nîl

Nil & honore, dolet quoties ſua nomina ſperni!
Vandalidæ ignari, partes prætendere primas
Dum credunt Polachos, animîsq; præire ſuperbîs,
Se temni credunt; ignominiâq; feroces
Ardeſcunt odiis! turbæ nec defuit illi,
Vindictam læſi qui perſuaderet honoris,
Fervidiorq; animô primus Slava agmina contra
Iret, & erepta litem de parte moveret.
Movit: & in labarum, Slavi quod fortè locârant,
Injiciens dextram violenter; ab aggere Signum
Egerat in præceps, calcare nec horruit actum!
Protinus exarsêre Slavi: facinusq; peractum
Ulturi, ferrum rapiunt! rapiuntq; viciſſim
Vandalidæ! læſum miſeri ulciſcuntur utrinq;
Arma per & cædes (prôut impulit error) honorem!
Mutua fit ſtrages: læſiq; quid ardor honoris
Æmula quid rabies, quid opinio ſaucia poſſit
Tum patuit; quando tot fortia corpora letho
Jlla dies dederat civili ſparſa cruore,
Totq; animas ſævum præceps demiſit in orcum,
Tempora bellorum quot non hausêre priorum!
Interea Lachus, quà defluit Iſtula, longum V.
Nave iter emenſus, ſibi deſignata petebat
Littora, ſe numero cupiens inferre ſuorum;
Hactenus ignarus, mala quæ graſſentur in illos!
Jamq; propinquabat caſtris, cùm fervere turpi
Marte videt campum, ſævîsq; nigreſcere telîs!
Arma, ſonus, clamor, bellum civile monebant.
Agnoſcens civile nefas; cêu percitus æſtrô
Lachus equum ſcandit; rapiensq; per avia greſſum,
Nube ſupercilii venerandus, & imperioſa
Voce furorem inhibens, dignusq; vel indè timeri,
Conci-

Conciliatrices parat interponere dextras;
Attollenſq; enſem mediis in millibus unus
Qua de cunq; Viros parte aſſilit, atq; ità CLAMAT:
Quis furor o! Cives, turpî concurrere ferrô,
Cognataſq; acies Fraterno evertere Marte?
Jura ubi ſunt? ubi ſacra fides? pietaſq;, Duciq;
Quam modò jurâſtis, reverentia? gaudia pænè
Ipſa inter, me Rege palàm, diſtringitis enſes?
Uſq; adeònè inter tot bella exhauſta neceſq;
Crevimus in turbam, noſtris ut oporteat armis
Exceſſum minui? ſitis eſt ſi tanta cruoris,
Externo ſervate manus (dum venerit) hoſti.
Lisnè movet bellum, quo læſum ſanet honorem?
Erratis! *Nullum ſanatur vulnus honoris*
Sanguine Fraterno: quin è medicamine tali
Gloria pejus habet; læſumq; exſtinguit honorem
Dum reparare ſtudet! Vobis conducere pugnam
Hancnè rear, Cives? qua (ſi mihi creditis ipſi)
Eſt melius vinci quàm vincere? ponite ferrum
Sacrilegum! ſcelerum ſatis eſt, fregiſſe recentis
Jura ſodalitii! per triſtia prælia feſſos
Ultima curarum pax linea leniat omnes.
Nî facitis, magnumq; ſcelus producere cunctis
Eſt furor; in promptu majus graviuſq; tenetur:
Fraternis jugulis malè quos intenditis enſes,
Arcete! inq; Ducem, veſtris qui pono ſequeſtrum
Me gladiis medium, civilia vertite tela!
Dixit: & hæc dicens nudaverat ægide pectus,
Pænè Paterna odiis opponens viſcera amoris.
Imperioſa Ducis præſentia, voxq; pudorem
Atq; metum ſuadere potens, venerabilis æquè

Ac

Ac auguſta, Virûm furias langueſcere fecit.
Miteſcunt ſubitò, factiq; dolore gementes
A jugulis revocant gladios; quos condere tandem
Quisq; ſuo potiùs, quàm Fratris pectore mallet!
Scilicet admiſſi nunc hos nunc pœnitet illos
Criminis; & vellet ſua quisq; piacula forti
Poſt lacrymas delere manu: Frendere videres
Dentibûs hos in ſe, nunc deficientibûs illos
Jllacrymari odiîs; alios confuderat horror
Et pudor iratos vultus. Non quisq; precari
Pro ſe audet; taciti (quoniam pudor ora ligavit)
Condemnant facinus, mutoq; dolore fatentur
Se peccâſſe nimis, veniamq; à crimine poſcunt.
Quos ubi patrato mœrentes crimine Lachus
Viderat; ADJECIT: Ne de ſtatione ſuperſint
Jurgia, deq; loco; noſtro committite (quæſo)
Totum opus arbitrio: turmis, quæcunq; ſuperſunt,
Dividere ex æquo ſpatium curabimus! *Ægrè*
Placetur licèt ambitio, raròq; quieſcit
Sorte ſua; non illa meis (confido) reſiſtet
Imperiis: ùt tradidero ſortemq; locumq;,
Ex merito quoniam tradam, contenta tenebit.
Poſcimus hoc, (REDDIT GEBERICH) cōponere ſolo VI.
Tu potes averſos animos, & reddere priſcæ
Nomen amicitiæ, civili crimine raptum.
Nam cûi diſpliceat, quod juſſeris? infima campi
Portio ſit; mandante Lacho mihi ſumma probatur.
Atq; utinam poſſes non tam diſtinguere caſtrìs
Emeritos Cives, quàm mœnibûs? urbe locata
Forſitan ex æquo conveniſſemus in unum,
Et tua magna iret fabricatìs gloria murìs
Non minùs ac Gneſnæ. Certè locus iſte, Vavello

Qui planus pulcherq; ſubeſt, deſiderat ultra
Nîl, niſì condendam ſeris ætatibus urbem.
Atq; ego cenſerem: venturum pompa priusquam
Exhibeat ſolita cum majeſtate triumphum,
Ante operis tanti jacias fundamina, quæ ſint
Lætitiæq; ſpeiq; futuræ grande theatrum.

VII. Tum Lachus: Hâud (INQUIT) votis præſentibus ipſe
Obſtarem; cuperemq; ,meo fabricanda labore
Surgeret urbs iſthic: niſì, quod petitiſq; voloq; ,
Grande opus ad noſtrum differrent fata Nepotem.
Hic opibûs meritîſq; potens (prôut omnia priſcô
Augurió didici) quondam ſibi condet & urbem,
Et Cracus è proprio cognomine ſtructa vocabit
Mœnia: fortè olim præclara Cracovia ſtabit
Quo nunc caſtra loco! Tanti cognoſcere facti
Qui cupit Authorem, ſub imagine noverit iſta:
Dixit: & oſtendit præſagi in imagine Scuti,
Facta ſui (qui Cracus erat) nomenq; Nepotis:
Orbe quidem nunc exiguo depicta, ſed olim
Tanta futura, queant clareſcere qualia toto,
Quà patet, imperiô; Faſtoſq; implere perennes.

VIII. Exhibita poſtquam ſat pavit imagine cunctos,
ADJECIT Lachus: Quæ ſit qualiſq; futura
Urbs Authore iſto, præſens demonſtrat imago;
Invidiamq; mihi, (ſi fas ità dicere) quo plus
Hanc obſervo, movet. Cur non ego Conditor hujus
Sim quoq;, quæ regno ſit maxima forſitan, Urbis?
An, quia fata vetant, alieno fortè labori
Noſtra recuſabo dare nomina? quasq; futurus
Jlle Nepos ponet, non participavero curas?
Non ità: partem aliquã nobis quoq; præſtet, oportet,
Urbs

Urbs fabricanda olim, Lachiq; dicetur honori.
Mœnia non poſſum, fatis prohibentibûs, illa
Condere? poſſum Urbi plantam formare futuræ:
Atq; ea quæ poſſit magìs admiranda videri,
Ritè figuretur quàm ſi ſub imagine magnæ
Effigieq; Aquilæ? prôut in vexilla migravit
Magna Avis, inq; mei, quæ diligo, Stemmata Regni;
Sic eadem, pansìs prôut ſtat vel provolat alìs,
Ponendæ quondam plantam quoq; migret in urbis.
Quàm bene convenient binæ Urbes, maxima Regni
Sidera? Gneſna Parens, & quæ naſcetur ab illa?
Una modò ſi cùm ſibi nomine plaudat avito
Nidi Aquilæ, ſerò prognata urbs altera tandem
Tempore, vultum Aquilæ ſpeciēq; imitamine reddet?
Affirmo, reddet; ſi parva mapalia certìs
Sint dispôſta locìs; Aquilæq; imitata volantis
Effigiem, referant non tam ſua nobilis Urbis
Nomina, quàm potiùs magnæ ſint Urbis imago:
Dum veniat tempus, quo præſtantiſſimus ille
(Quisquis erit, quem fata canunt) veſtigia Cracus
Miratus plantamq Urbis, ſplendore ſuperbo
Erigat Auguſtam, murìs cingentibûs, Urbem,
Relliquiasq; mei colat extollatq; laboris.

Finierat. Cûi ſic Viſimirus REDDIDIT ORE:
Ante casæ faciant Urbis quàm ſemina, forment
Caſtra priùs, referantq; Aquilæ dispôſta figuram.
Poſteritas hunc ſera ſitum, venturaq; quondam
Urbs colet; hôc longè magìs applauſura magìsq;
Tam ſibi quàm populis, digeſta quòd Iconis hujus
Semina prima typumq; Aquilæ ſuper arva volantis
Audiet armatæ veniſſe ab origine mappæ.
Adde, quòd acturo tibi præſtò Lache triumphum

Urbs deſit: ſupplere illam tibi caſtra valebunt
In formam diſpôſta Aquilæ; poteruntq; ſubinde
Proluſura Urbi nunc Urbs *Aquileia* dici.
Dixerat. Aſsensu tunc Lachus ad ultima facto
Verba, legit ſpatium poſitis ex ordine Caſtris.
Porta ubi nunc duplex ſurgit, cûi *Florida* nomen,
Vandalidis mandat, figant tentoria: At illi
Ter ductîs circùm foſsîs, poſitìsq; ſtativîs
Grande parant Lacho monumentum. Surgere viſa
Porta triumphalis, quæ duplex ſeq; locumq;
E regione tuens, ſimulabat imagine fiſſam
Caudam Aquilæ; binîs prôut exit in æthera linguîs,
Stemmaq; diſcerptîs hinc atq; hinc partibûs ornat.
Caſtrorum in medio, quà nunc protenditur Urbis
Curia, viſus erat multîs Inſignibûs Arcus
Stare Triumphalis; ſpectans hinc indè frequentes
Excubias laterum, geminosq; ab utrinq; coloſſos:
Quale modò formare Aquilæ pectusq; ſuasq;
Curia cum portis ſibi reſpondentibus alas
Cernitur; ùtq; pedes, geminas vibrat àére turres.
At ſedem poſuêre Slavi longo ordine clivi
Montem inter campumq;: ubi nunc longiſſima tractu
Tenditur, atq; Aquilæ collum gutturq; platea
Signat, & antiquæ præfert data ſymbola plantæ.
Reſtabat Vavellus adhuc ſublimis & aſper,
Roſtra caputq; Aquilæ rigido qui monte referret.
Hûic modò, quà ſummo patet area vertice, primas
Imponit turmas, Prætoria ſigna, ſibiq;
Ipſe Lachus figi mandat tentoria: Sed quod
E regione tabernâclum conſpexerat, omni
Picturæ genere & tabulîs ad ſymbola rasîs
Præcipit ornari; monumentum grande Libriæ,
Quo

Quo non ipſa minùs Viſimirq; Parensq; Polia,
Quàm ſeri poſthac moneantur multa Nepotes.

Quarta dies aderat, cùm jam matura triumpho IX.
Omnia, decretam ſunt viſa repoſcere pompam.
Mox turmæ in campum, via quà planiſſima ducit,
Conveniunt; ſignôq; datô Currusq; Equitesq;
Ordine procedunt. Plebs tum captiva præibat
Inceſsu teſtante ſuos vultuq; dolores;
Sed quantò facie dejectâ triſtior illa eſt,
Hôc magìs exornat Victorum congrua plausum:
Iridis ùt lætum variumq; coloribûs arcum,
Quò magìs illacrymat, magìs auget flebilis imber.
Sic captiva phalanx pompam Victoribus addit:
Qui raptìs ex hoſte armìs, ſpoliìsq; ſuperbi,
Concentus inter populi, ſonitumq; tubarum,
Læti iter accelerant; poſt terga ſequentibûs illos
Curribûs, & Signìs, admirandìsq; Trophæìs:
Quæ modò Poliæ, tibi nunc Viſimire præibant,
Nunc Libria tibi. Lachus ultimus eſſeda ſupra
Victor, & Heroâ præcinctus tempora lauru
Ibat ovans! illum alipedes bis in ordine terni,
Qui candore nives antêirent, ponè vehebant.
Jamq; propinquabant portis; denſiſſima circùm
Plebs ubi cum ramis effuſa virentibus, altè
Clamat: *iò! vivant! & vincant ſæcula noſtri*
Victores! Studiô viſendæ ex ordine pompæ,
Hinc illinc vulgus Juvenumq; Senumq; gregatim
Miſcetur! Poliam alii comitemq; Libriam
Mirari; geminamq; Ducem factio agmine contra
Certatim ruere, & pueris oſtendere Matres!
Lachum illi, pulchræ radiantem mole quadrigæ,
Attoniti circumſpiciunt; gratantur & illum

Ire Duci ſinè nube diem, celebremq; triumphis.
Hæc inter, Vavelli arcem plaudente tubarum
Cantu intrant, ſubeuntq; trucis Delubra Gradivi
Cujus ùt indè ſinu laurumq; & ſigna triumphi
Depoſuit Lachus, mox ſacra jugalia ritu
Solenni peragunt. Libriæ Viſimir illinc,
Hinc, Polia, fidem tibi Lachus in ordine jurat.

X Tunc Myſtæ admoniti geminant ſua ſacra Gradivo
Thure dato, & proni Martemq; Jovemq; precantur.
Fit rogus indè ingens, flammìsq; parata crematur
Victima: quam circùm Pueri innuptæq; Puellæ,
Mos ùt erat, ſaliunt; ducuntq; ex arte choreas:
Utq; ſit hortamen ſalientibus, omnis Haruspex
Myſtarumq; Chorus, præcinctus tempora vittis,
Hæc canit aût iſtis metra pænè ſimillima metris:
Mars armìs, pariterq; armìs noſcenda Diana,
Huc huc, cumq; aliis Divis, oramus, adeſte!
Non inhonora dies eat hæc, quæ pronuba Sacra
Auſpicibûs vobìs celebrat! Regna aurea tandem,
Dum figunt Authore Lacho modò tenvia plantam,
Naſcantur! *Præeatq; recens* Aquileia *cunctis*
Urbibus, & ſedes Regni Regumq; vocetur.
O quando tandem venietis tempora; voti
Eventum viſura hujus! *Venient tamen illa,*
Et venient votis non immatura; Lachiq;
Fortunam plena cum libertate videbunt:
Tunc, quando ſeries vix enumeranda Nepotum,
Auguſtos Reges pariter de Regibus ortos
Ad Lachum referet: *Tabulìsq; & imagine reddens,*
Monſtrandum digitô præponet in agmine Lachum!

XI. Hæc & plura canunt, donec manus ultima tandem
Eſt impôſta Sacris. Delubrô pompa relictô

Aulam

Aulam intrat, pictis ubi jam pulcherrima paſſim
Symbola parjetibûs, Lacho mandante, nitebant.
Prima oculos animosq; ſimul rapiebat imago
Principis electi votis concordibûs: illum
Nobilitas circùm, tercentum millibûs aucta,
Stabat, & unanimi ſuffragia voce ferebat.
Subſtitit hìc, Libriâq; tuens Lachus iſta PROFATUR:
Quæris, in effigie monumentum quale ſit iſta,
Quidvè ſibi poſcit? qua libertate Polachos
Florentes cupiam, præſens oſtendit imago.
Nempe quid utilius populis, quàm ſubdere colla
Sponte & amore, ſuo data poſt ſuffragia Regi,
Virtutes quem cunctæ ornant? præſtantius usquam
Eſt nihil hôc terris; Regni pietasq; ſalusq;
Cardine ab hoc pendent. *Semper felicia Regna*
Rege bono ſtabunt: talem tamen eſſe neceſſe eſt
Qui cunctis placuit, cûi ſponte & amore fideli
Aurea libertas Regni committit habenas.
Non ità; naſcendi quem ſors ſceptroq; thronoq;
Præficit! invitis, fuerit bonus ille malusvè,
Imperat; incerto confundens omine Regna.
Quòdſi ab utrinq; dolor timeatur; *Cernere præſtat*
Quàm ſperare malum. Gravis hâud, quæ libera pœna eſt;
Utq; minùs doleas, prior elige ſponte dolere.
Dixerat: inq; aliam convertit lumina partem,
Altera ſpectandam quà ſe præbebat Imago.
Atq; hìc Rege palàm, Regni jam frena tenente,
Flos Procerum, referens & nomine & ore Senatum,
In Tyriis partim Trabeis partimq; refulgens
In Violis, denſæ quantum exhibuêre Curules;

Jura ſimul cum Rege dabat; Regniq; ſalutem
Conſervaturas condebat in ordine leges.
Hoc libertatis (Lachus inquit) *Stemma ſecundum eſt,*
Libria! ſancta velim ſint illa oracula, miſtus
Verticibus ſacris tulerit quæcunq; Senatus
Atq, ità, ſi Patriæ quidquam rectoq; bonoq;
Non bene conveniat, poſſit vox una vetare.
Sic ait: atq; alia defigit in Icone vultum,
Nobilitas turmîs ubi ſparſim raſâ diremptîs,
Eq; Palatinis diſtrictibus acta per urbes,
Parte ſub hac modò jura dabat, modò parte ſub illa.
His vellem ſua, (Lachus ait) *quò latiùs exſtet,*
Libertas præſit, vocisq; ſimillimus uſus,
Publica privatîs quando ſancita petentur.
Indè pedem referens demonſtrat in Icone cunctos
Stare Equites, non mole onerum, non lege tributi
Adſtrictos. *Quantumq; licet, Lechus auguror* (inquit)
Non opus eſt, noſtri cogantur ad ardua Cives,
Ardua ſponte ferent; quoties pretiumq; laboremq;
Exiget integritas Patriæ, tutelaq; Regni
Dixerat: atq; fidem dictis facturus; ad illam
Vertitur effigiem, pictis ubi viſa ſub armis
Stare, ſuos longè latèq; amplexa manîplos
Nobilitas. Jllam quaſi Motio Publica in hoſtem
Legerat: Hinc illinc ſtudiîs communibûs acta,
Et non impensîs ſervilibûs empta nec aurô,
Sacrabat vitam Patriæ; contenta vel ipſo
Hoc pretio, ſibi quod cum libertate receptum eſt.
XII. Hîs modò monſtratîs, dū plura ad ſymbola greſsū
Fert Lachus; ecce venit Legatus ab orbe recentis
Littaliæ. Antiqui cognoverat ora Viſimir
Littalani olim, pariterq; eſt cognitus illi.

Utq;

Pellimur à Danis, nova littora quærere juſſi.
Quærimus! & tandem ſuperata Balthide, claſſis
Littore noſtra ſtetit; fluvius quà nomine *Niemen*
Balthidis æquoreæ præceps illabitur undis.
Terra ſilens, atq; hoſte vacans, ſecura, feraxq;
Omnibus arriſit: tentoria figere primùm,
Mox & amor ſuaſit, terræ dulcedine captus,
Hoc Patriam fundare loco: peregrina parantur
Italiæ Populis habitâcla, domusq;, caſæq;;
Atq; ea jam nobis nova terra, colonia facta eſt.
Nec ſatìs: ipſe urbis jam mœnia prima Palæmon
Molitur, fluvius quà *Wilia* præterit; urbi
Flumine ab hoc meditans imponere nomina Vilnæ.
Quàm veniſſe reor felicia tempora, quando
Authorum ſtudiô duplex revireſcere ſe ſe
Miratur tellus! Lechiæ Lechus aurea regna
Condis: at hoc ipſo, quo Regnum tempore condis,
Æmulus Italiam veterem regione propinqua
Excitat; & forſan Litalani nomine quondam
Dicendam fundat Genitorq; Authorq; Palæmon!
Qualiacunq; tamen curetis ponere Regna,
Fauſta licèt, nî ſint ſociali fœdere juncta,
Verſa cadent: *Rebus nunquam felicibus omnis*
Hoſtis abeſt; & adeſt præceps jactura diremptis!
Ergo manus faciles in fœdera porrige Leche,
Sanctaq; amicitiæ Vos nomina nosq; colamus.
O utinam veniat non longîs paſſibûs illa
Jlla dies, tempusq; illud, quando aurea Lachi
Regna, potensq; virûm Litvania pareat uni!
Hoc ego cumq; meo Gens integra Patre precamur.
Ante tamen, veniat quàm felix temporis hujus
Jlla dies, ſacræ firmemus fœdera pacis,

Sym-

Symbola venturæ majoris (ùt ominor ipſe)
Fortunæ; qualem diſcordia tempora quàmvis
Scindere conentur, nunquã tamen improba ſcindent:
Noſtraq; cum Polachis plena Unio fortè canetur.
Dixerat. Hûic Lachus, vultu teſtatus amorem, XIII.
Reddit, & hæc ſolita cum Majeſtate PROFATUR:
Nulla mora eſt; petitis quæ fœdera, poſcimus ipſi:
Pignus amicitiæ nobis vobisq; colatur.
Nempe Sodalitii quæ ſors præſtantior unquam eſt,
Quàm Litavos Polachis ad vota Palæmonis addi?
Nosco decus nomenq; Viri: virtute Palæmon
Qua fuit & claret, qua Lachi inviſerat olim
Urbem Hoſpes, noſtros & primus traxit amores,
Hac junctis in pacta animis præbebit honorem.
Non equidem dubito, quin mecum ſentiat iſtud
Gens mea, cûi Leges meditor dum ferre, feramq;,
In tabulis, legum non pars erit ultima: *Nexum*
Lachy ut cum Litavis ſtudeant ſervare perennem.
Sic ait: &, *Procerum compareat omnis ad unum* XIV.
Ordo, jubet. Venêre omnes: quid Concio Lachi
Sit juſſura, avidi; præſtareq; cuncta parati.
Celſior indè Lachus, dextrâq; ſilentia poſcens,
Incipit EFFARI: Veſtræ quod nonniſi Cives
Fortunæ dêerat, quod SORTE OPTATIUS OMNI EST,
VICINAS GENTES SIBI REDDERE SEMPER AMICAS,
Cum plena tandem jam libertate tenetis.
Littalanus adeſt, quo cum modò fœdera ſanxi,
Et precor, ære magis ſint firma, diuq; perennent.
Ultra hæc quid reſtat, ſanctas nisì condere LEGES,
REGNA QUIBꝰ, POPULIQ; SALUS, BONAQ; OMNIA PERSTÃT?
Atq; ego jam ſtatuo: Regem ſit grande legendi
Vos penes arbitrium; licèt ipſe Nepotibus ampla

Sæcla

Pectore dum veſtro Pietas & regnet Honeſtum,
Stabitis: & ſtudiô florebunt aurea veſtrô
Regna! Diu durat, quod sustinet aurea Virtus.
At me tam pridem Cunas Faſtosq; canentem
Naſcentis Lechiæ, jam munere functus Apollo
Ore ſilere jubet, feſſis & parcere Muſis.
Si non preſſa malìs, ſtudiôq; dirempta ſeverô,
Audìſſet mea me cantantem Muſa ſub umbra;
Me plus, quàm potui, potuiſſe Pöëticus ardor
Diſceret: at retro quoniam poſt otia docta
Ire datur nulli; licèt ægra aſt integra Muſa
Languenti cytharæ metrìsq; imponere finem
Imperat. Exhauſto mihi per tria luſtra labori
Pono modum; jam crine ſenem jam carmine faſſus.
Leche vale! longè meliori fortè canendus
Ære tubæ! Steriles ſi nunquam in metra Camœnæ,
Si meritis honor eſt; venturi temporis ætas
(Vaticinor) non longa feret, nec & orphana Vatem,
Littaliæ qui geſta canat Lechiæq; Nepotum.
Nam mihi, quod cantem præſenti carmine, Cunæ
Naſcentis Regni, Lechus quoq; ſufficit unus.

FINIS.

LEOPOLI

Anno MDCCXLV.

Errata Typi ſic Corrige.

Pag.	*Verſ.*		
10.	24.	pænam l.	pœnam
11.	9.	propere	properè
11.	22.	pyratica	piratica
12.	23.	pænas	pœnas
13.	12.	pænam	pœnam
14.	29.	mærens	mœrens
16.	13.	ſuave	ſuavè
35.	11.	nosmet rapiat l.	rapiat vos meq;
41.	5.	hoſtẽ	hoſtes
50.	16.	Veni	Vêni
67.	3.	proefctionis	profectionis
163.	10.	Quàm	Quam
175.	14.	informat	informat
215.	3.	ſucceſſit	ſeceſſit
218.	27.	Novi	Nôvi
287.	17.	utrimq;	utrinq;
158.	7.	;	.

MAG 2015036